

Christian Kortholt Johannes Mejer

De Calumniis Paganorum In Veteres Christianos Sparsis : Diatribe I.

Rostochii: Kilius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740035568>


Druck Freier  Zugang



R. U. Med. 1663

Christian Kortholt

Vent.: Johann Mejer



12
D E
CALUMNIIS
PAGANORUM IN
VETERES CHRISTIANOS

SPARSIS,
DIATRIBE I,

Quam

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,
Venerandæ Facultatis Theologicæ
Suffragio,

PRÆSIDE
CHRISTIANO KORTHOLT,
S. Theol. D^{do} Professore Publ.

In Auditorio Majori, ad diem XXVII. Jun.
Publice ventilandam proponit

JOHANNES Mejer
ROSTOCHIENSIS.



ROSTOCHII,
TYPIS JOHANNIS KILII acad. Typogr. 1663.

DE
CALUMNIIS
PAGANORUM IN
VETERES CHRISTIANOS

SPARSIS

DISTRIBUERE

Quam

IN ACADEMIA ROSTOCHENSIS
Veneranda Facultatis Theologicae

Publicae

Disputatione

CHRISTIANO ROTHOLT.

S. Theol. D. Professoris Publ.

In Auditorio Majori, ad diem XXVII Junii
Publice ventilanda proponit

JOHANNES

Universitäts
Bibliothek
Rostock



ROSTOCHI

Typis Johannis Kilii Acad. Typogr. 1667

79215454



DE
CALUMNIIS IN VETE-
RES CHRISTIANOS A
GENTILIBUS SPARSIS



N simulari quivis innocens
potest, revinci, nisi nocens, non
potest, inquit in Apologia sua
Apulejus. Sane rem ita se ha-
bere, omnium temporum
experientia docuit. Quis
innocentior *S. Narcisso*, illo
Jerusalemis ecclesiae tri-
gesimo Episcopo; quem et-
iam miraculorum dono cla-
ruisse Eusebius scribit lib. vi
Histor. eccl. cap. ix? & tamen de vita impudica accusa-
tus fuit vir sanctissimus a tribus perjuris calumniatori-
bus. Interim ut criminis, cuius insimulabatur, con-
vinceretur, tantum absuit, ut potius in clarissima luce
innocentiam ejus constitueret, quam delatores ipsius
magno cum suo malo experiebantur, divina vindicta,
sicut memorato loco pluribus refert Eusebius. *S. Atha-
nasium*, celeberrimum illum ecclesiae Alexandrinae
A Episco-

Episcopum, virtute immutabilem & mente angelicum fuisse testis est Nazianzenus: sed, bone Deus, quot calumniarum plaustra in innocentissimi hujus Doctoris caput exonerata sunt! Brachium circumferebant, quod, ad usum magicum, Arsenii cujusdam corpori excisum ab Athanasio affirmabant. Mulierem subornabant impudicam, quæ ab eodem sancto viro, dum hospitio illum excepisset, stuprum vi sibi illatum conquereretur. Sed fraudem prodidit tum ipse Arsenius, quando, in locum judicii adductus, utrumq; ibi brachium publice ostendit; tum mulier quoq; ipsa, ut quæ, cum Athanasio coram Judicibus committenda, ne de facie quidem hunc virum sibi unquam notum fuisse, magna cum delatorum confusione, manifestum fecit; quemadmodum fuscæ hæc narrant Rufinus lib. I Hist. eccl. cap. xv, seqq. Socrates lib. I, cap. xxvii, seqq. Theodoretus lib. I, cap. xxv, seqq. Sozomenus lib. II, cap. xxii, xxiii, xxv. Quæ S. Cyrilli, itidem nominatissimi Alexandrinorum Episcopi, fata fuerint, ipse exponit in Epistola ad Nestorium, quæ repetitur in Actis Concilii Ephesini parte I, cap. IIx: *Intelligo, dicens, quosdam meæ apud tuam pietatem existimationi falso detrabere, multaq; temere effutire. ----- Jactant autem, hic quidem, quod cæcos egenosq; per injuriam oppresserim; alius, quod ferrum in matrem strinxerim; nonnulli, quod ancilla præsidio aurum alienum abstulerim; quidam deniq; quod ejusmodi improbitatis suspicione laborarem semper, cujusmodi ne insensissimos quidem hostes laborare optaverit quispiam. Verum, addit S. Pater, istos, & si qui ejus farinae sunt alii, non multum moror, ne supra Magistrum & Dominum, vel etiam supra majores nostros, tenuitatis meæ mensuram extendere videar. Fieri enim*

enim vix potest, quamcumq; demum vita rationem inieris, ut pravorum maledicorumq; hominum dentes evadas. Sed illi quidem maledicentia & acerbioris os plenum habentes, coram omnium iudice causam dicturi sunt.

ii. Atq; eandem sortem experti quoq; sunt Christiani illi veteres, quos, gentilium Imperatorum temporibus, perpetuæ eaq; acerbissimæ persecutiones vexarunt. Tanta quippe & tam horrenda iis pagani impegerunt facinora, ut ecclesiæ Gallicæ, apud Eusebium lib. v Hist. eccl. cap. i, asserant, se non credere, talia unquam ab hominibus fuisse perpetrata.

iii. Tribuerunt videlicet iis (ut inde ordiamur) *ἀνολαργεία* quod asini caput adorarent. Audio, inquit Cæcilius apud Minutium Felicem in Octavio, eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum inepta nescio qua persuasione venerari. Et Tertullianus: Somniastis, caput asininum esse Deum nostrum; Apologet. cap. xvi, ubi & paulo post, Christianos idcirco asinarios fuisse appellatos, indicium facit; narrat item, vidisse se Christianorum Deum a spurcissimo quodam nebulone auribus asininis pictum. Verba viri sunt: *Novam jam Dei nostri in ista civitate* (Roma haud dubie) *proxime editio publicata est, ex quo quidem in frustrandis bestiis mercenarius noxius picturam proposuit cum ejusmodi inscriptione: DEUS CHRISTIANORUM ONYNICHITES. Is erat auribus asininis, altero pede unguatus, librum gestans, & togatus. Risimus & nomen & formam.* Sed & originem hujus opprobrii & calumniæ ibidem ex Tacito exponit Tertullianus; Hanc, inquiens, Cornelius Tacitus suspicionem ejusmodi inseruit. Is enim in quinto Historiarum suarum bellum Judaicum exorsus ab origine gentis, etiam de ipsa tam origine, quam

4
de nomine & religione gentis, qua voluit, argumentatus, Ju-
deos refert Egypto expeditos, sive, ut putabit, extorres, in va-
stis Arabia locis aquarum egentissimis, cum siti macera-
rentur, onagris, qui forte de pastu potum petaturi aestimaban-
tur, indicibus, fontibus usos: ob eam gratiam consimilis bestie
superficiem consecrassse. Atq; ita inde, opinor, presumptum,
nos quoq; ut Judaica religionis propinquos, eidem simulacbro
initiari. Verba Taciti hæc sunt: Nihil aque quam inopia
aqua Judæos peregrinantes fatigabat. Jamq; haud procul
exitio, totis campis procubuerant; cum grex asinorum agre-
stium e pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Mo-
ses, conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit. Et
mox: Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimq; de-
pulerant, penetrati sacravere. Eandem rationem affert
Plutarchus lib. iv Sympol. qv. v: quam quidem ex Gen.
xxxvi, 24. gentes hausisse, lib. iii Miscellan. sacr. cap.
ix, conjectat Nicolaus Fullerus. Scilicet Horæorum
ibi Principum genus describens Moses, ubi Ana men-
tionem facit: Is est, inquit, Ana, qui invenit אַנָּה
in deserto, cum pasceret asinos Sibeonis patris sui. Ad quem
locum Hieronymus Quæst. Hebr. in Genesin: Multa,
ait, & varia apud Hebræos de hoc capitulo disputantur. Apud
Græcos quippe & nostros super hoc silentium est. Alii putant,
Jamim maria appellata: iisdem enim literis scribuntur maria,
quibus & nunc hic sermo descriptus est. Et volunt, illum, dū pascit
asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse,
que juxta idioma lingue Hebræica maria nuncupantur; quod
scilicet stagnum repererit. Nonnulli putant, aquas calidas (sic
sane vulgatus Latinus,) juxta Punice lingue viciniam, qua
Hebrææ contermina est, hoc vocabulo signari. Diodorus
Tarsensis, Expositione in Genesin, scribit: ο̅ ζύγῳ
xvi

ἡ Ἐβραϊστικὴ τὴν ἰαμαὶν ὕδαρ βέλονται λέγει. ἀπὸ δ' εὐρε πρῶτη ἐν
 ἰρημῶ. Nempé qui ita Mosis verba interpretantur,
 in Hebræo legunt אֲשֵׁר, cum hodierni nostri codices
 habeant אֲשֵׁר, ut sensus Mosaici textus sit, Horæ-
 um Principem mulos reperisse; quod scilicet equarum
 greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, ut mu-
 lorum inde nova contra naturam animalia nascerentur, ceu
 loquitur Hieronymus. Quidquid autem sit de Fulle-
 ri conjectura (cui si quis calculum adjicere velit, ne-
 cesse sit fateatur, quod de aquis ab *Aua* inventis, juxta
 nonnullorum interpretationem, dicat Genesis, id *Mosé*
 perperam ab ethnicis tribui,) id certum est, conviti-
 um de asini capite Judæis culto, undecunq; etiam il-
 lud haustum, (certe Jo. Seldenus lib. II de Jure na-
 turali cap. I, ex singulari asini primogeniti redimendi
 jure ac more, gentilibus perperam intellecto, natum
 putat) longe lateq; inter paganos fuisse sparsum. Sa-
 ne & Apionem, illustrem illum Grammaticum, suis
 eam commentariis infarsisse, ex Josepho novimus,
 qui lib. II. contra ipsum, cap. X. In hoc, ait, sacrario (de
 templo Jerosolymitano loquitur) Apion presumpsit edi-
 cere asini caput collocasse Judæos, & ipsum colere, ac dignum
 faceret tanta religione: & hoc affirmat fuisse pro palatum,
 dum Antiochus Epiphanes & exspoliasset templum, & illud ca-
 put invenisset ex auro compositum, multis pecuniis dignum.
 Absque dubio etiam huc spectat illud Petronii Arbitri
 in Satyrico:

Ex. 13, 13.

*Judeus licet & porcinum numen adoret,
 & cilli summas advocet auriculas.*

*κιδδὸς enim, Hesychio teste, asinum notat Doribus.
 Quanquam alii pro cilli heic legant cæli. Mendacium*



mendacio auget Damocritus apud Svidam, dum non tantum Judæos aureum istud asini caput adorare, sed & tertio quoque anno hospitem captum ei immolare scribit. Refer etiam huc, quod in Excerptis e Diodori Siculi lib. xxxiv legitur, Antiochum videlicet Epiphanem, Judæis subactis, in templi Jerosolymitani aditis reperisse statuam lapideam, figuram humanam barba promissa, quæque asino infideret & librum manibus teneret, referentem, quam Mosis imaginem esse impius judicaverit Epiphanes.

iv. Sed satis de veneratione capitis asinini Judæis objici solita. Qui autem factum, ut commento illo asinino etiam Christiani fuerint onusti, supra e Tertulliano audivimus, quoniam nempe *Judaica religione* illi erant *propinqui*. Et sane, qui Deos gentilium spernebant, nec facere iis volebant, hos, sive Judæi, sive Christiani fuerint, cum scilicet Christianorum nomen, primis nascentis ecclesiæ seculis, haud ita esset profanis seorsim cognitum, communi *Judæorum* appellatione ipsos insignivisse constat, nosque testimonio non uno id firmamus in tractatu de persecutionibus ecclesiæ, proœm. num. iii, sect. ii, num. vi, & sect. v, num. xxxiii. Interim & Gnostici forte, illi hæreticorum spurcissimi, ansam calumniæ huic dare potuerunt. Ediderunt quippe, Epiphano teste, librum, cui titulus, *ἡ γέννα Μαρίας*, seu *stirps Maria*, in quo mirade Zacharia, ob asinum numen, inter sacrificandum, ab eo conspectum & vulgo proditum, perempto, fabulati sunt. Verba Epiphani, quæ leguntur hæresi xxvi, ita habent: *Inquiunt, Zachariam occisum esse in templo, quoniam visionem vidit, & ex timore volens narrare visionem,*

7
nem, oris obturationem pertulit. Vidit enim (inquiunt,) in ho-
ra suffitus hominem quendam stantem, asini formam haben-
tem: & cum egressus esset, ac dicere vellet: *Va vobis! quem*
adoratis? obturavit os ejus ille, qui visus est ab ipso in templo,
ut loqui non posset. Cum vero aperiret os suum ut loqueretur,
tunc revelavit ipsis, & occiderunt eum, & sic mortuus est.
Hæc de Gnosticis Epiphanius; qui præterea addit, juxta
aliquos illorum, Dominum Sabaoth, quem cœli & ter-
ræ conditorem credant, asini figuram habere; sicut por-
ci formam eidem tribuant alii.

v. Porro Christiani insimulati sunt, quod So-
lem pro DEO suo haberent; uti rursus testis est Ter-
tullianus in Apologetico cap. xvi, qui & mox occasi-
onem hujus calumniæ subjungit: *Inde suspicio*, scribens,
quod innotuerit, nos ad orientis regionem precari. Moris
hujus, quod nempe adoraturi ad orientem se conver-
terent Christiani veteres, passim apud antiquos men-
tio. Illamque consuetudinem a magno Pontifice & ejus
filiis, hoc est, ab ipso Christo & Apostolis, manasse,
juxta cum aliis Patribus nonnullis affirmat Origenes
Hom. v in Numer. quanquam, ut ibidem addit, *ratio*
ejus non omnibus pateat. Interim & hanc dare conan-
tur prisca ecclesiæ scriptores, licet diversimode. Autor
Responsionum ad Orthodoxos (qui vulgo, etsi per-
peram, Justinus Martyr creditur) Quæst. cxix, ideo
sic orasse veteres ait, quod, quæ apud nos meliora &
præstantiora sunt, ad DEI honorem secernamus; ho-
minum autem opinione pars ea, in qua Sol oritur, cæ-
teris creatæ naturæ partibus sit præstantior. Verba
ipsum sunt: *Quandoquidem apud nos præstantissima quæq;*
ad honorem & venerationem DEI destinamus, opinione autem
bomi-

ἡλιολα-
γεία.

hominum præstabiliior est oriens aliis creatura partibus, eam
 obrem orationis tempore vultu ad orientem omnes converti-
 mur: perinde atq; dextra manu in nomine Christi eos signa-
 mus, qui sigillo tali indigent, eo quod prestare sinistra putetur,
 quamvis positura, & non natura, illa differat. Non aliter
 & oriens, ut præstantior creatura pars, ad Deum adorandam
 est designata. Augustinus, lib. ii de sermone Domini
 in monte, ita in hanc rem differit: Cum ad orationes sta-
 mus, ad orientem convertimur, unde cælum surgit: non tan-
 quam ibi sit Deus, & quasi cæteras mundi partes deseruerit,
 qui ubiq; presens est, non locorum spatii, sed majestate po-
 tentiæ; sed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem
 se convertere, id est, ad Dominum, cum ipsum corpus ejus,
 quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est, ad corpus
 cæleste, convertitur. Autor Quæstionum ad Antiochum,
 quæ Athanasio, male quamvis, tribui solent, Quæst.
 xxxvii, tres hujus ritus causas affert. Prima est, quod
 Spiritus sanctus eum præceperit per Davidem Pro-
 phetam, dicentem: προσκυνήσωμεν εἰς τὸν ἴσθμον, ἕ ἕστησαν οἱ
 πόδες σου, κύριε, adoremus ad locum, ubi steterunt pedes tui, Domi-
 ne. (At in Hebræo est: יִגְלוּ אֶתְּכַנְּפֵי יְרֵכֶיךָ וְיִשְׁתַּחֲוּוּ
 nos ante scabellum pedum ejus.) Quis vero sit ille locus,
 ubi pedes Domini steterint, id docere ait Zachariam,
 quando dicat: καὶ ἕστησαν οἱ πόδες μου εἰς τὸ ὄρος τῶν
 εἰλαίων (κατ' ἀνατολὰς) καὶ τὴν Ἱερουσόλημ, & stabunt pedes
 Domini in monte oliivarum (versus orientem) e regione Je-
 rusalem. Secundam rationem his proponit verbis:
 Quia Deus lux vera est & dicitur, eam ob causam ad creatum
 istud lumen conuersi, non illud, sed creatorem ejus adoramus.
 Tertia, juxta ipsum, causa est, ut ad paradysum respici-
 amus, unde excidimus, tanquam veterem nostram patriam
 & sedem,

Ps. 132, 7.

Zach.
14, 4.

Et sedem, rogantes Deum ac Dominum, ut illos nos reducat,
unde sumus pulsī. Ultimam isthanc rationem affert quoq;
Basilii M. lib. de Spiritu sancto cap. xxvii, Omnes, in-
quiens, spectamus ad orientem, cum precamur: pauci tamen
novimus, quod, id facientes, antiquam requirimus patriam,
videlicet paradisum, quem conseruit Deus in Eden ad orientem.
Sic etiam Cyrillus Jerosolymitanus in Catechesi my-
stagogica I, (si tamen indubitato Cyrilli sunt illæ Cate-
cheses) Cum Satana renunciaveris, ait, Et omne cum illo pa-
ctum rescideris, veteres, inquam, pactiones cum inferno,
aperitur tibi paradisus Dei, quem ipse ad orientem plantavit.
Et hujus rei symbolum est, cum ab occasu converteris ad ortum,
quæ lucis est regio. Johannes Damascenus præter jam
enumeratas, alias insuper causas profert. Ita nimirum
scribit lib. iv de fide orthodoxa, cap. xiii: Dominus, cum
in cruce penderet, ad occasum prospiciebat; eoque nomine ita
adoramus, ut eum obtueamur. Ac rursus, cum in cælum re-
ciperetur, ad ortum efferebatur, sicque a discipulis adoratus est;
atque ita venturus est, ut eum in cælum intuentem conspexerunt;
quemadmodum ipse quoque Dominus dicit: Sicut fulgur exit Matth. 24
ab oriente, Et apparet usque in occidentem, ita erit adventus 27.
filii hominis. Quocirca adventum ejus operientes ad orientem
oramus. Ultimam isthanc rationem urget quoque ca-
non ille Arabicus, quem ex Constitutionibus, uti in-
scribuntur, Apostolicis, qui manu scripti in bibliothe-
ca Oxoniensi publica extant, lib. iii de Synedriis vete-
rum Ebræorum cap. xvi producit Joannes Seldenus.
Is in latinam linguam conversus ita habet: Ex illis
constitutionibus est, ut preces fundantur versus orientem.
Cujus rei ratio ac probatio plena habetur in sermone Domini no-
stri Christi, nempe Deum venturum e cælo in posterioribus die-
bus,

B

bus,

bus, sicut fulgur, quod micat in oriente, & splendet in occidente. Unde docemur circa adventum ejus, illum fore ex oriente. Rationem vero proxime præcedentem, quæ ab ascensu Domini est petita, affert item Commentarius in Pentateuchum Arabicus ms. quem rursus laudato loco citat Seldenus. Ait videlicet ille, Christianos precari versus orientem, quoniam Christus illuc ascenderit, ibiq; sedeat, juxta illud Davidis: *Psallite Deo, qui equitat super cælum versus orientem;* (מִשְׁמֹרֶת is in fonte) Ad quem textum etiam provocant Constitutiones Apostolicæ Græcæ, sub Clementis Romani nomine prostantes, quæ itidem non semel consuetudinis illius orandi versus ortum faciunt mentionem, quem admodum & Hierarchia, quæ Dionysii Arcopagitæ titulo superbit. Confer quoq; Clementem Alexandrinum lib. vii Stromatum, & Epiphanium hæres. xix; qui sane inter Elxai, pessimi illius hæretici, portentosa referre non dubitat, quod ad orientem orare prohibuerit.

Pf. 68, 34.

VI. Sed satis de Christianorum veterum in orientalem plagam inter precandum se vertentium ritu: quem cum gentilibus communem iis fuisse, Tertullianus supra laudato xvi Apologetici sui capite innuit, dum & ipsorum plerosq; adorantes *ad Solis ortum labia vibrasse* ait. Nec sane desunt aliorum scriptorum testimonia, quæ idem confirment. De Ænea & Ascanio sacrificantibus & precaturis sic Virgilius Æneid. xii, 173.

*Illi ad surgentem conversi lumina Solem,
dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
summa notant pecudum, pateris altaria libant.*

Ita

11

Ita etiam, apud eundem Maronem Æn. iix, 68. Æneas precaturus,

*surgit, & ætherei spectans orientia Solis
 lumina, rite cavis undam de flumine palmis
 suscipit, actales effudit ad æthera voces:*

Nympha, Laurentes Nympha, --- ---

Adde Clementem Alexandrinum lib. vii Stromatum: qui etiam antiquissima templa ad occidentem ideo scribit respexisse, ut, qui vultu starent ad simulacra converso, docerentur veriti ad orientem. Et Vitruvius certe, qui Augusti floruit tempore, lib. iv Architect. cap. v, veluti pro notissima sui temporis & vetusta, de ædibus sacris constituendis secundum regiones & mundi plagas, disciplina tradit, eas ita constituendas esse, ut, si nulla ratio impediret, liberaque fuerit potestas, ædis signum seu Numinis simulacrum, quod erat in cella collocatum, spectaret ad vespertinam cœli regionem, ut, qui adirent ad aram immolantes, spectarent ad partem cœli orientis, ipsaque simulacra viderentur ex orienti contueri supplicantes & sacrificantes. Atque hinc factum putat ille Ebraeorum doctissimus, Rabbi Moses Ben Maimon, in More Nebuchim parte III, cap. XLVI, ut Abraham in monte Moriah sacrificans, versus occidentem, ubi esset sanctum sanctorum, se verteret. *Causa, quam obrem id fecerit Abraham, juxta sententiam meam, est ait, quod, cum dogma tunc receptissimum esset per orbem terrarum, Solem colendum, eumque Deum esse, nec dubitandum fuerit, quin omnes homines facies suas orienti obverterent, ideo Abraham, pater noster, faciem suam obvertit occidenti in monte Moriah, scilicet in sanctuario, ut tergum suum Soli obverteret. Sic Maimonides: qui deinde affert locum Ezech. viii, 16. Ecce, juxta*

B 2

ostium

ostium templi Domini, inter vestibulum & inter altare, erant quasi viginti quinque viri, quorum terga erant ad templum Domini, & facies eorum ad orientem, adorabantq; שמש קרמם Solem ad Orientem. Nempe gentilium more: ad quem etiã respicere videtur Job 9 cap. xxxi, 26, 27. ubi peccata compluria, quorum se reum fuisse negat, enumerans: Si, inquit, adspexi Solem (ita Hebræum שמש cum veteribus heic vertit Seldenus) cum splenderet, aut Lunam clare incedentem, & seductum est in abscondito cor meum, & applicata est manus mea ori meo (ritus adorandi vetustissimus innuitur; de quo Hieronymus lib. i contra Ruffinum: Qui adorant, inquit, solent deosculari manum, & capita submittere. Ac paulo post: Hebræi, juxta lingua sua proprietatem, deoscultationem pro veneratione ponunt. Quo referunt nonnulli illud שמש קרמם Ps. ii, ii.) etiam hoc iniquitas magna (pœna dignissima) quia sic negassem Deum, qui est desuper. Sed quamvis hæc de gentilium ad orientem inter præcandum vel sacrificandum respiciendi ritu ex hæcenus allatis certo certiora videantur, non tamen desunt, unde dubia ea reddi, imo prorsus adverla persvaderi posse forte dixeris. Quæ pluribus heic persequi nostri instituti ratio non permittit. Videat, cui placet, quæ ex Luciano, Porphyrio, aliisque, in hanc rem affert Seldenus lib. iii de Ebræorum Synædriis cap. xvi, pag. 436. seqq.

vii. At esto, certum omnino sit & indubitatum, ritum fundendi preces versus orrum gentilibus cum Christianis fuisse communem, sine tamen longe diverso morem istum ab utrisq; frequentatum fuisse manebit. Quanquam sane fieri potuit, ut, quæ laudabilibus de causis pridem in ecclesiam introducta fuerat conve-

33

consuetudo, successu temporis in superstitionem pe-
derentim degeneraret. Quo respiciens inter alia Leo
M. Serm. vii de Nativitate, ut prorsus abrogaretur
mos ille precandi versus orientem, consultum duxit.
Ubi enim conquestus fuerat, nonnullos e Christianis
ritui isti adeo religiose inharere, ut, priusquam ad B.
Petri Apostoli Basilicam, quæ uni Deo viva & vero est dedicata,
perveniant, super altis gradibus, quibus ad suggestum ara supe-
rioris ascenditur, converso corpore ad nascentem se Solem
reflectant, & curvatis ter vicibus in honorem se splendidi orbis
inclinent, idq; fieri partim ignorantia vitio, partim paganita-
tis spiritu, multum se dolore dixerat, mox subiungit:
Etsi quidam forte creatorem potius pulchri luminis, quam
ipsum lumen, quod est creatura, venerantur, abstinendum
tamen est ab ipsa huiusmodi specie officii; quam cum in nostris
invenit qui Deorum cultum reliquit, nonne hanc secum partem
opinionis venuste, tanquam probabilem, retentabit, quam
Christianis & impiis viderit esse communem? Et tantum
etiam de hac calumnia, qua ἡλιολατρείας rei agebantur
Christiani. Quæ de Solis die, divino cultui a fidelibus
consecratio, quasi nimirum hinc occasio sumpta Solis
venerationem Christianis obijciendi, porro Tertullia-
nus tangit, iis lucem afferre poterunt, quæ in tracta-
tu de persecutionibus ecclesiæ, sect. iii, Num. vi, ad Epi-
stolam Plinii de Christianis notavimus.

ix. Ulterius affingebant Christianis, quod An-^{αἰδολα-}
tistis ac Sacerdotis colerent genitalia, & quasi parentis sui
adorarent naturam; veluti constat ex Minutii Felicis
Octavio. Quæ calumnia ex eo nata creditur commu-
niter, quod veteres Christiani coram Antistite flexis
genibus procumberent, manibusq; suppliciter junctis
peccata

peccata ei confiterentur. Atque huc pertinere putant illud Tertulliani, libro de pœnitentia, cap. ix: *Exomologesis prosternendi & humiliandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordia illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, illa, quæ peccavit, tristi tractatione mutare: Caterum pastum & potum, pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum; PRESBYTERIS ADVOLVI, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Verum enimvero, nisi vehementer fallor, hic quidem Tertulliani locus non agit de confessione, quæ præcise facta fuerit Antistiti, ut tali, ad impetrandam ab eo, tanquam ordinario ecclesiæ ministro, absolutionem; sed de ritu, quo pacem a tota ecclesia petebant peccatores. Solebant nimirum in prisca ecclesia pœnitentes non Sacerdotibus modo, sed cunctis omnino fidelibus, variis dolentis animi signis suam ob admissa peccata contritionem testari, lacrymis precibusque insistere, ad pedes Antistitum, martyrum, cæterorumque fratrum & viduarum volvi, utque veniam ab ecclesia obtinerent, enixe iis supplicare. Quem morem clare ob oculos ponit Tertullianus in libro de pudicitia, cap. XIII, Tu quidem, inquit, pœnitentiam mœchi, ad exorandam fraternitatem, in ecclesiam inducens, concilicatum & concineratum cum dedecore & horrore compositum prosternens in medium ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacrymas suadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem, inque eum hominis exitum, quantis potes misericordiae inlecebris, bonus pastor & benedictus*

Etus

15

Etus Papa concionaris. Atq; ad hanc consuetudinem respexisse puto eundem Tertullianum illis etiam verbis, quæ ex ipsius de pœnitentia libro supra dedimus. Dum enim ibi, *caris Dei* pœnitentes adgeniculari, ait, haud dubie ad martyres, coram quibus procubuerint, digitum intendit: eos quippe *charos Dei* fuisse appellatos, tum ex aliis Cypriani locis, tum præcipue ex ipsius libro ad Demetrianum, satis liquet. Sed & paulo post manifeste Tertullianus indicat, sermonem sibi esse ibidem loci de ritu, quo (non coram solo Sacerdote, sed) omnibus fratribus procumberent pœnitentes, veniam ab illis petaturi, & ad commiserationem eos inflexuri. *Cum te ad fratrum genua protendis, inquit, Christum contrectas, Christum exoras. Æque illi, cum super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus patrem deprecatur.* Paulo ante dixerat: *Inter fratres atq; conservos, ubi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio (quia communis spiritus de communi Domino & patre) quid tuos aliud quam te opinaris? quid consortes casuum tuorum ut plausores fugis? Non potest corpus de unius membri vexatione letum agere: condoleat universum & ad remedium conlaboret necesse est.* Taceo, Cyprianum Epistola LU ad Antonianum diserte distinguere inter confessionem & exomologesin, (de qua Tertulliano sermo) quando ait: *Apud inferos dum confessio non est, nec exomologesis illic fieri potest.* Sed de Exomologesi vide Albaspinum lib. II, Observ. xxvi, xxvii, Jo. Lud. de la Cerda Adversar. sacr. cap. cxlii, num. iii. Quamvis autem, ceu hactenus ostensum, Tertulliano isto loco, qui eum in finem adduci solet, sermo non sit de ritu confitendi peccata Antistiti, tanquam ecclesiæ ministro, & qui ordinarie a peccatis absolvere solet pœnitentes,

tentes, potuit nihilominus ejusmodi mos, flexis pō-
 plicibus Sacerdoti peccata confitenti, in veteri eccle-
 sia obtinuisse, & supra memorata calumniæ ansam de-
 disse. Etsi fortasse & illa ex consuetudine supplicandi
 omnibus fidelibus ortum trahere potuit.

σαυρολα-
 τρεία.

xi. Insuper & Crucis cultum fidelibus CHRISTI
 servis obijciunt Cæcilius ethnicus apud Minutium Fe-
 licem, & Julianus Imperator apud Cyrillum Alexan-
 drinum lib. vi contra hunc ipsum Apostatam. Testis
 item est Tertullianus in Apologetico cap. xvi, gentiles
crucis religiofos putasse Christianos. Quos *Crucicolas*
 hinc, sub Diocletiano & Maximiano Augg. appellatos
 fuisse tradit Aldhelmus (quem *Anibelmum* vel *Adelmum*
 vocant alii) libro de Virginitate, cap. xvii. Sed recte
 Octavius apud Minutium, accusationem isthanc in-
 ipsos paganos retorquens: *Cruces, inquit, nec colimus,*
nec oramus. Vos plane, qui ligneos Deos consecratis, cruces
ligneas, ut Deorum vestrorum partes, forsitan adoratis. Nam
& signa ipsa, & cantabra, & vexilla castrorum, quid aliud
quam inaurata cruces sunt & ornata? tropæa vestra victricia
non tantum simplicis crucis faciem, verum & affixi hominis
imitantur. Sic & Tertullianus, ubi supra: Victorias
adoratis, cum in tropæis cruces intestina sint tropæorum. Re-
ligio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa jurat,
signa omnibus Diis præponit. Omnes illi imaginum suggestus
insignes, monilia crucium sunt. Sypara illa vexillorum & can-
tabrorum stola crucium sunt. Alias & hoc nomine Chri-
stianis insultare solebant ethnici, eosq; irridere, quod
crucifixum colerent. Clare id docet Lanctantius lib.
iv, cap. xvi, Velut opprobrium nobis objectari solet, inqui-
ens, quod & hominem, & ab hominibus insigni supplicio affe-
ctum

Etum & exoruciatum ; colamus. Confer & cap. xxvi. Sic Augustinus Sermone ix de verbis Apostoli : De cruce CHRISTI nobis insultant sapientes hujus mundi, & dicunt: quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum? Idem Serm. I de conversione Pauli : Nolo erubescamus de CHRISTI nomine. Insultetur nobis, quod credimus in crucifixum. Paulo ante dixerat : Natum, crucifixum, mortuum, erubescis confiteri. Altus, excelsus, & aequalis patri, per quem facta sunt omnia, per quem factus es tu, factus est quod tu, factus est propter te homo, propter te natus, propter te mortuus. Agrote, quomodo sanaberis, qui de medicamento tuo erubescis? Elige tempus. Nunc est tempus: postea contemptus ille veniet admirandus; iudicatus ille veniet iudicaturus; occisus ille veniet excitaturus; exhonoratus ille veniet honoraturus modo & postea; modo in fide res est, postea in manifestatione erit. Elige hoc tempore, quam partem teneas in futuro. De CHRISTI nomine erubescis modo hominibus. Ex eo quod erubescis modo, habes erubescere cum venerit in gloria sua, redditurus quod promisit bonis, quod minatus est malis. Ubi eris tu? quid facies, si te attendat ille excelsus, & dicat tibi: erubuisti de humilitate mea, non eris in claritate mea. Discedat ergo mala verecundia, accedat salubris impudentia; si impudentia dicenda est. Sed tamen, fratres, extorsi mihi ut hoc dicerem, nec timerem prorsus. Adde porro Minutium Felicem, apud quem Cæcilius Christianis exprobrat, quod hominem summo supplicio pro facinore punitum colant. Etiam impius ille Celsus apud Origenem lib. VII contra eundem: Fugiendi sunt, inquit, impostores & prestigiatores, spectra vobis commendantes, ne sitis modis omnibus ridiculi, cæteros Deos vituperantes ut idola, ipsi reventa idolum colentes, ac ne idolum quidem, sed mortuum. Confer

C fer

fer quæ porro in opere impostori huic opposito Adamantius affert lib. II, III, VI. Ita quoq; vetus Martyrologium refert, cum Præfectus Olibrius virginem quandam, Christianismi ream, de genere suo ac nomine & religione quæsiuisset; illa autem respondisset, se genere nobilem, nomine Margaretam, religione Christianam; dixisse Præfectum: *duo prima tibi recte conveniunt, quæ nobilis haberis, & pulcherrima margarita comprobaris: sed tertium tibi non convenit, ut puella tam pulchra & nobilis DEUM habeat crucifixum.* Notentur porro, quæ habet Chrysostomus in Matthæi cap. XVI, Homil. LIV, sive (ut alii numerant Codices) LV. *Si gentiliū quispiam abs te petierit, crucifixumne adores? noli dubitare clara voce & lata facie dicere: & adoro, & adorandi nunquam faciam finem. Et si videbit, largas tu effunde lacrimas de insania ejus. Agas immortalis Domino gratias, cujus beneficio hæc suscepimus, quæ nullus absq; divina gratia dicere potest. Nam idcirco hic etiam ridet, quia homo animalis non suscipit ea quæ ipsius spiritus sunt.* Confer in super Eusebium lib. III de vita Constantini, cap. I, Isidorum Pelusiotam lib. IV, Epist. XXIX.

νεφελολα-
τρία.

x. Huc referunt nonnulli nubium venerationem, quasi & ipsa Christianis olim ab impiis fuerit objecta: nixi videlicet illo Tertulliani loco, qui legitur in ejus Apologetico cap. XXIV: *Colat alius Deum, alius Jovem; alius ad cælum supplices manus tendat; alius ad aram fidei; alius, si hoc putatis, nubes numeret orans.* Sed nescio, annon verius ad Judæos hæc respici, credamus, de quibus Juvenalis Satyra XIV, 92.

*Quidam, sortiti metuentem sabbata patrem,
nil præter nubes & cæli lumen adorant.*

Sane Judæos cælum adorare, etiam Celsus iis affingit
apud

apud Origenem libro v eorum quos maledico illi calumniatori opposuit. Et Diodorus Siculus libro xl in Eclogis hæc habet: *Nullam omnino Moses Deorum imaginem statuamve fabricavit, quod in Deum minime cadere formam mundanam, sed COELUM hoc, quod terram circumquaque ambit, solum Deum esse, cunctaque in potestate habere, judicaret.* Confer Strabonem lib. xvi. Nec desunt, per Cœlicolas, in Codice tum Theodosiano tum Justiniano non semel memoratos, Judæos qui intelligi debere contendunt.

xI. Istos Cœlicolas (ut de iis, *ὡς ἐν πνεύματι*, pauca heic afferamus) certa sua, in quibus convenire sole-
rent, habuisse ædificia, constat ex l. xii C. de Judæis & Cœlicolis, item ex l. xliii C. Theodos. de hæreticis, lib. xvi, ubi Imperatores Honorius & Theodosius ædificia ista ecclesiis vindicare jubent. Quin Majores etiam suos & Patriarchas habuisse ipsos, ex l. iii C. eod. didicimus. Imo & Augustinus, Epist. clxiii, Majoris Cœlicolarum meminit, qui novi apud Donatistas baptismi autorem instituerit. Verba S. Patris sunt: *Miseramus ad Majorem Cœlicolarum, quem audieramus novi apud eos baptismi institutorem instituisse, & multos illo sacrilegio seduxisse; ut cum illo, quantum ipsius temporis patiebantur angustia, aliquid loqueremur.*

xII. Sed qui proprie fuerint hi Cœlicolæ, quidve crediderint, perquam obscurum est. Judæos fuisse, nonnulli, ceu diximus, sibi persuasum habent. Solentq; hi ex supra a nobis producto Juvenalis loco, cui alium ex Petronio jungunt, sententiam suam firmare. Verum, ut dicam quod res est, Juvenalis & Petronii testimonia heic parum, imo nihil omnino, efficiunt.

efficiunt. Si enim capitis asinini venerationem Judæis affingere non dubitarunt pagani, quidni iisdem falso quoque tribuere potuerint adorationem cæli? Et cur magis credamus Petronio, cæli cultum Judæis tribuenti (si tamen lectio illa:

Et cæli summas advocat auriculas,

genuina est: nam aliter nos legere, ex num. iii constat) quam dum idem, eodem illo loco, & versu immediate præcedente, quod *porcinum numen adoret*, huic genti affingit? Certe, ut perperam Judæis *ἑρανολατρείαν* isthanc objici ostendat, omnem lapidem, loco paulo ante citato, movet Origenes. Monetq; Johannes Seldenus, lib. ii de Jure naturali & gentium juxta disciplinam Ebræorum, cap. I, licet olim, maxime ante templi primi excidium, pro vario hominum perversorum affectu, atque dominantium libidine, ita idolatria subinde apud Judæos grassata fuerit, ut nullum ferme ejusdem genus non sit etiam publice admissum (de quo ex sacro codice satis constat) tandem tamen post primi illius templi ruinam gentem toties ictam eousque sapuisse, ut nihil magis atque cultum extraneum (quo scilicet saxi, stipitibus, statuis, imaginibus, angelis, elementis, corporibus cælestibus, aliive cuicunque creaturæ, divinus honor offertur) velut pestem gravissimam fugeret, idq; ex majorum disciplina, quam mali temporis anterioris mores nimium sæpe obumbrarant. Per calumniam ergo a Juvenali aliisque gentilibus Judæis tributum est, quod cælum colerent. At verò Imperatoribus Christianis in edictis suis contra Cœlicolas res non est cum hominibus, quibus falso aliquis error vel impietas fuerit, sive

ab

ab imperitis, five a calumniatoribus, adscripta, sed ipsi
Cœlicolis tribuunt *crimen superstitionis*.

XIII. Cardinalis Baronius, Tomo I Annalium, ad
ann. LX, num. XVI, Cœlicolas, quorum in edictis Im-
peratoris fit mentio, Christianos fuisse autumat, qui a
religione transfugæ ad Judæismum defecerint. Co-
luisse autem Judæos cœlum, etiam post Salvatoris no-
stri in carnem adventum, ex Hieronymi epistola CLI
ad Algasiam, quæst. x, & Clemente Alexandrino lib. VI
Stromatum, liquerè arbitratur. Verum de istis locis
Seldenus, ubi supra: *Occurrunt quidem, ait, subinde apud
scriptores veteres de Judaico angelorum & astrorum cultu
aliquo etiam post secundi templi excidium testimonia; sed
quæ conjecturæ potius sunt, nec temere admittenda. Et quod
e concione, quam, nescio quis, D. Petri nomine insignivit, cita-
tum habetur apud Clementem Alexandrinum, de cultu eorum,
angelis, archangelis, mensi ac Luna exhibito, plane hallucina-
tio est. Angelos quidem, quos & suis designant nominibus,
mensibus præesse aliisq; rebus existimarunt, sollicitius etiam,
more majorum, in mensium initiis finibusq; adeoq; festorum
ratione ex Luna visione præfinitenda, semper agere soliti sunt;
quod & concionis illius autor ille ibi memorat, & velut causam
eius, quod de cultu dixerat, affert. Sed hæc quid ad cultum?
Ita sane, qui Solaris Lunarisq; motus apicibus minutiisq; ut
temporum ratio sibi in periodis consonet, cruciare se solent,
Solem & Lunam adorare seu colere dicerentur. Hæc Sel-
denus; qui paulo post, calumniam, quasi Judæi cœ-
lum adorarent, ex eo ortam asserit, quod solenni eorum
locutione Numen sanctissimum, quod solum volebant adoran-
dum, שמים id est, cœlum, sit nuncupatum. Seldenum
heic inter alios sequitur Elias Schedius, Syngramm. I
de Diis Germanis, cap. IV.*

xiv. Et sane, Hebræorum Magistris usitatissimi mune esse, voce שמים Deum designare, negari non potest. Apud Talmudicos celebre est illud: הכר לשם שמים *Omnia ad Cælum. Quod R. David Kimchi in Psalmũ i sic effert: שמים כל מעשיך יהיו לשם שמים Omnes actiones tue sint in nomine Cæli, hoc est, DEI. R. Elias Levita in Tisbi, voce שמים, in hanc rem citat illud: הכל בידו שמים מיראה שמים Omnia sunt in manu Cæli, præter timorem Cæli; item istud: שם שמים שגור בפיו: Nomen Cæli asportatum in ore eius. Ubi Cælum notare DEUM in aprico est. Pertinet insuper huc illud in Medrasch Koheleth, cap. v, 6. Qui venit visitatum egrotum, dicit: השמים ירחמו עליך Cæli misereantur tui! Sic in Pirke Abboth cap. i: נמצא שם שמים מתחלה inveniuntur nomen Cæli profanatum. Ibidem cap. iv, מורה שמים congregatio quæ fit propter Cælum, מורה שמים timor Cæli, & cap. v, שמים שמים מחלוקת שהיא לשם שמים contentio quæ fit propter Cælum; quid aliud sunt, quam congregatio quæ fit propter Deum? Ita in libro precum quotidianarum, אדם ירא שמים homo timens Cæli, est homo pius, qui Deum timet. Et מיתה בידו שמים mors per manus Cæli, Rabbini notat mortem repentinam, quam Deus immediate infert. Quin & ipsæ sacræ literæ COELI vocem pro DEO non semel usurpant. Sic Pl. LXXIII, 9. de impiis dicitur: שהו בשכנם, פיהם ולשונם תהלק בארץ. Opponunt cælis os suum, & lingua eorum pervadit terram. Ubi Euthymius: Per Cælum quidem Deum intelligit, inquit, qui in cælis habitat. Sic & Hugo de S. Charo, verba versionis Latinæ: posuerunt in cælum os suum, considerans, in cælum, interpretatur, contra Deum. Eodem modo Basilio M. Cælis os opponere, est, blasphemis contra*

ΟΥΘΩΣ ΝΟΥΝ peccans in Caelum,) Ita Matth. xxi, 25. Mar-
 ci xi, 30. 31. Luc. xx, 4. 5. quæstio movetur: fueritne ba-
 ptismus Johannis ἐξ ἑρῶν, an ἐξ ἀνθρώπων, id est, a
 Deo, vel hominibus? Et βασιλεία τῶν ἑρῶν, quod legi-
 tur Matth. xi, ii. explicatur per βασιλεία τοῦ Θεοῦ, Luc. vii,
 28. Imo apud alios quoque autores vox COELI non-
 nunquam DEUM signat. Sic, quando Petronius in
 Satyrico ait: *Nemo Cælum putat*; quid aliud vult,
 quam, neminem putare quod sit Deus? Apud eun-
 dem Circe ad Polienum: *Habebo, inquit, quod Cælo im-
 putem, si nos fata conjunxerint.* Ita Manilius Astronom.
 lib. v, 18.

Araq; Divorum, cui votum solvit Olympus,

hoc est, Jupiter ipse, Deorum summus. Poëta vetus
 apud Diomedem Grammaticum:

- - - Cælo gratissimus annus,
 id est, Deo. Claudianus, Paneg. in vi Consulatum Ho-
 norii, vers. 352.

- - - providus æther
 noluit humano titulos auferre labori.

Sulpitius Severus Dialogo: *Qui mundi gloriam calcans,
 Cælo teste fruere tur.* Phædrus: *Ut videantur sapere, Cæ-
 lum vituperant.* Huc Caspar Barthius, Adversar. lib.
 liii, cap. iii, etiam refert illud Sedulii lib. iv, 8.

- - - permagnaq; cælo
 vox resonans venit per nubila: clarificavi,
 clarificabo iterum. *Quid apertius est patre teste,
 COELO assertore?*



25

DE
CALUMNIIS IN VETERES
CHRISTIANOS A GENTILIBUS
SPARSIS

DIATRIBE II.

Sed tandem e diverticulo in viam redeamus. Existimat Seldenus, ut diximus supra, cum voce **דְּיָהוּ** DEUM innuerint Judæi, quod cælum illud, stellarum domicilium, pro DEO habuerint, idemque adoraverint, tributum ipsis fuisse. Addit amplius: *Hinc & Judaica secta quedam Cœlicola etiam apud Christianos dicta; de qua Codex uterque, sed maxime Theodosianus.* Verumenimvero, uti, quantum ad prius, non magnopere doctissimo viro refragamur: sic posterius credere nondum possumus; fuisse videlicet apud ipsos etiam Christianos Judæos Cœlicolas dictos, quod cælum creatum venerari existimati sint. Aut enim ex sua ipsorum mente ita Judæos appellarunt Christiani, aut solum usi sunt, ad indigitandos Judæos, hoc titulo, tanquam qui vulgo receptus esset, licet ipsi eundem non approbaverint. Prius dici non potest. Qui enim inde, quod DEUM, *Cæli* quamvis nomine interdum indicatum, adorarunt Judæi, *Cœlicolas* eos vocandos putarint Christi cultores; quos & ipsos DEUM, omnium conditorem, fuisse veneratos, & *Cæli* voce eundem aliquando innuisse, plus satis constat? Nec admittendum posterius. Quod enim Cœlicolæ, quorum in utroque Codice habetur mentio,

D non

non ex aliorum falsa opinione sic appellati sint a fidelibus, hinc satis liquet, quod Imperatores in suo edicto diserte ajunt, nomen hoc inauditum *novum crimen superstitionis indicasse*. Revera ergo fuit aliqua superstitio, cui qui fuere addicti, *Cœlicolarum* nomen, etiam in Christianorum ore, invenerunt.

xvi. Josephus Scaliger, licet in Notis ad Cirin scribat, Judæos apud Imperatorem dici Cœlicolas, quia, ut Juvenalis ait, *nil præter nubes & cœli lumen adorant*, in prolegomenis tamen inclyti illius operis, quod de emendatione temporum edidit, nomen hoc adeptos asserit, quod cœleste, hoc est, sanctum, vitæ genus sectari sibi viderentur. Credit nimirum, Cœlicolas fuisse sectam quandam Essenorum, eam videlicet, quæ erat τῶν κελυσίων, aut certe illi non dissimilem. Sed audiamus ipsum Scaligerum. *Essenorum*, inquit, *alii κελυσιοί, alii μονάζοντες fuerunt. Sed horum non videtur secta diuturna fuisse. At τῶν κελυσίων, aut eorum non dissimilium, synagoga fuerunt ad tempora Justiniani. Sunt enim ii, qui Cœlicolæ vocantur. Nam & nomen id indicat. Cœlicola enim sunt angeli. Ita vocari volebant propter sanctum & cœleste, ut ipsis videbatur, vitæ institutum. Sed primo, verba, quibus in edicto suo utuntur Imperatores, omnino importare videntur, Christianorum cœtui Cœlicolas fuisse mixtos, iisdemque accenseri voluisse. Unde & Jacobus Cujacius, quamvis Judæorum sectam fuisse Cœlicolas affirmet, Comment. ad l. XLIII C. Theod. de Hæreticis, mox tamen addit, *miscuisse se quoque eam Christianismo ad aliquid; quandoquidem, ait, hanc sectam hæreticis & dogmaticis edictum Imperatorum, annumerat, & ut ad Christianam religionem revertantur, quodam.**

quodammodo cohortatur. Et Matth. Wesenbecius, Comment. ad G. tit. de Judæis & Cœlicolis, hoc differre scribit Judæos & Cœlicolas, quod illi plane ab ecclesia, cui nomen nunquam dederunt, sint alieni, hi vero cives ecclesia per baptismum effecti, ab ea turpiter defecerint, ejusdemq; doctrine puritatem inquinaverint & corruerint; adeoque, nisi ad sanam mentem, & quam projecerant, Christiana religionis venerationem reverterantur, pro hæreticis & habeantur & puniantur. Ita, inquam, Wesenbecius; qui, quod Cœlicolæ a nomine Christiano non fuerint prorsus alieni, etiam inde liquere existimat, quod eorum templæ ecclesiis orthodoxis tribui jubentur l. xii C. de Judæis & Cœlicolis, quæ alioqui fito potius vindicata fuissent, l. v inf. de paganis & sacrificiis. Confer & eundem Consilio xxxvii. Quin ipse Scaliger alibi, nempe Elencho Trihæressi Nic. Serarii cap. xxxi, num. cclxx, de Cœlicolis affirmat, quod ad Christianismum conversi fuerint, sed, sacro lavacro tincti, iterum ad priscum Judæismum defecerint, & nominatenus Christiani, Cœlicolarum ritus retinuerint. Si recte ejus mentem assequor, duo Cœlicolarum genera ibidem constituit Scaliger, quorum alii Judæi fuerint & Ethenorum portio, de quibus loquantur Juvenalis ac Petronius; alii pseudo-Christiani, qui scilicet baptismum quidem recepissent, sed nihilominus Judæorum Cœlicolarum ritus frequentarint. Originem quoque jam citato loco affert, ab ea, quam in supra laudatis prolegomenis probat, omnino diversam. Ait quippe, esse sic appellatos *Cœlicolas* (cum quibus eosdem putat fuisse *Massalianos*) quod eorum *μεσοδωχαι* essent *ἐν ἀβελ. καὶ ἐν Ἰσραὴλ πῖπρ.* Utrique sane ejus etymologiæ, & priori

D 2 cum-

cum primis, omnibus modis refragatur *Synopsis Basilicorum*, lib. i, cap. de Hæreticis, dum *Cœlicolas* interpretatur *σβαμένους τὸν ἕρανόν*.

xvii. Johannes Drusius, lib. iv de tribus sectis Judæorum, cap. xx, Cœlicolas Honorio ac Theodosio memoratos esse putat *Schamiin* illos, quos in urbe Misraim seu Cairo ad ripas Nili peculiarem synagogam habere, in Itinerario suo refert Benjamin Tudelensis. Duæ nimirum ibi Judæorum fuerunt synagogæ; una eorum, qui in Israelitica regione nati erant, et aq; dicta *כניסיה אל שמש* *Synagoga Syrorum*; altera illorum, qui ex Babylonia oriundi; hæcque appellata *כניסיה עירקין* *synagoga Inacesium*, seu in Iraca, regione Babyloniæ versus austrum contrigua, natorum. Priores illos, ut dixi, de Cœlicolis, quorum in Codice mentio, explicat Drusius. At eum recte refellit Thomas Reinesius lib. i variarum lectionum cap. xxv, ubi etiam Sam. Petiti opinionem examinat, scribentis lib. ii var. lect. cap. xi, *Schamiin* istos sic fuisse nuncupatos, quia *Biblia in suis synagogis Hebraice legebant, ut cœlitus accepta & tradita fuerant a Mose & Prophetis*. Interim protestatur Drusius, tum loco supra memorato, tum in Responsionis ad Minerval Serarii Appendice, num. cxiii, quæ de Cœlicolis eo modo, ut paulo ante retulimus, a se asseverentur, ea accipienda esse de Cœlicolis Judæis, non Christianis. Nam juxta ipsum *Cœlicola alii erant meri Judæi, alii meri Christiani*, veluti expresse ait in jamjam laudata Appendice. Et fuisse quidem Christianos Cœlicolas, ex Augustino colligi posse autumat. Ubi ad Epistolam ejus clxiii, in qua Majoris Cœlicolarum, qui *novi baptismi institutorem instituerit*, mentio

mentio habetur, haud dubie respicit. At vero Scaliger in Prolegomenis supra citatis de Essenis hæc dicta affirmat, qui *quia erant ἡμετεροβαπτισαὶ*, inquit, *nobi Baptismi auctores Donatistis fuerunt.* Sed tandem missos faciamus *Cælicolas*, (de quibus sane nil certi asserere aumus præter hoc unum, quod incerta sint omnia, quæ quidem nos hactenus apud autores de iis asserta legimus) & ad cæteras, quas in CHRISTI servos ethnicorum impietas evomuit, calumnias considerandas pergamus.

XIIX. Itaque cogitandum lectori proponimus, annon porro convitiis ethnicis veniat accensendum, quod in Epistola quadam ad Servianum Gos. (quam ex libris Phlegontis recitat Flavius Vopiscus in Saturnino) Imperator Hadrianus prodidit, coluisse videlicet Christianos in Ægypto Serapidem. *Ἰλλὶ* *qui Serapim colunt, Christiani sunt, & devoti sunt Serapim, qui se CHRISTI Episcopos dicunt.* Serapim, sive Sarapim, vel Apim, præcipuum fuisse Ægyptiorum numen, idque sub bovis specie ab illis cultum, plus satis notum est. Vide Herodotum in Euterpe, sed præcipue in Thalia, Strabonem lib. xvii, Plutarchum lib. de Iside & Osiride, Varronem lib. iv de L. L. cap. x, Plinium lib. iix, cap. xlvi, Jul. Solinum cap. xlv, Pomponium Melam lib. i, cap. ix, Ammianum Marcellinum lib. xxii, Diodorum Siculum lib. i, cap. xxv, Lucianum libello de sacrificiis, Ælianum lib. xi Hist. an. cap. x, Macrobius lib. i Saturn. cap. xxi, Svetonium in Octavio cap. xcii, & in Vespasiano cap. vii, Spartianum in Adriano, Svidam in *Σάραπιδος*, Libanium Sophistam in encomio bovis, Athenæum lib. vii, Theophilum Antioche-
D 3 num

num lib. i ad Autolyicum, Tertullianum Apologet. cap. vi, Clementem Alexandrinum in Adhortatione ad Gentes, & lib. i Strom. Minutium Felicem in Octavio, Arnobium adversus Gentes lib. i, ii, iv, Eusebium Præpar. Evang. lib. x, cap. xii, Athanasium Orat. contra idola, sive adversus Gentes, Julium Firmicum de errore pofanarum religionum, Gregorium Nazianzenum Orat. xxxiv in Ægyptiorum adventum, Orat. xxxix in sancta lumina, & Orat. xliix, quæ est ii in Julianum, Hieronymum in Joël cap. iii, Rufinum lib. ii Hist. eccl. cap. xxiii, Augustinum lib. xix de civitate Dei, cap. v, Prosperum Aquitanicum lib. iii de prædicationibus cap. xxxiix, Isidorum Hispalensem lib. iix Orig. cap. xi, aliosque. Hunc itaque Serapim a Christianis fuisse cultum, Hadrianus, ut dixi, Augustus memoriæ prodidit. Et sane fieri potuit, ut, quando in Ægypto ageret Imperator hic, Christianorum nonnulli, metu perculsi, vera religione ad tempus dissimulata, paganorum superstitionem in speciem amplexi sint. Sic in veteri Martyrologio, in historia de Epimacho, martyre Ægyptio, narratur, propter sævi Judicis adventum diffugisse Alexandria omnes Christianos, aut ethnicam impietatem simulasse. Quod si Judicis adventus id potuit efficere, non mirum, si, veniente ipso Imperatore Hadriano, quem gentilium superstitionum acerrimum propugnato-rem omnes sciebant, simile quid acciderit. Interim verba Hadriani, quæ supra dedimus, nihil aliud præ se ferre videntur, quam Christianos in Ægypto omnes cultu ordinario venerari Serapin; (quemadmodum & paulo post de ipso, Patriarcha Alexandrino, quod
 Ægy-

31

Ægyptia cum istud portentum adoret, afferere non dubitat) At vero si hoc vult Imperator, insigniter eum calumniari palam est.

xix. Majorem veri speciem habuisset ejus narratio, si, quæ de Christianis refert, ea de Judæis protulisset. Hos nimirum, Ægyptiacam impietatem imitatos, Apin olim adorasse, diserte scribit Lactantius lib. iv divin. Instit. cap. x. Verba ejus sunt: Judæi, *depulsam jam servitute, (quæ eos in Ægypto prefferat) jam siti fameq; (quam in solitudine erant experti) deposita in luxuriam prolapsi, ad profanos Ægyptiorum ritus animos transulerunt. Cum enim Moyses, dux eorum, ascendisset in montem, atq; ibi xl diebus moraretur, aureum caput bovis, quem vocant Apin, quo deis signo præcederet, figurarunt.* Sic & Hieronymus ad caput iv Oseæ: *Videntur idcirco mihi populus Israël in solitudine fecisse sibi vituli caput quod coleret, & Jeroboam, filius Nabat, vitulos aureos fabricatus, ut, quod in Ægypto didicerant, ἄμιν καὶ Μνεῶν, qui sub figura bovis coluntur, esse Deos, hoc in sua superstitione servarent.* Confer insuper Ambrosium in Rom. i, & junge, quæ ad hæc firmanda leguntur apud Seldenum, Syntagm. i de Diis Syris cap. iv. Sed ipsa doctissimi viri verba, quamvis pluscula, huc transcribamus. Illa vero sic habent: Erat Apis non coitu pecoris, ita nugabatur, sed cœlesti igne seu radiis Lunaribus conceptus, (hoc est quod ait Plutarchus, ὅταν φῶς ἐρεῖσθαι γόνιμον ἀπὸ τῆς Σελήνης, καὶ καθάψεται τοῦ ἀργύρου) colore nigro, quadrato in fronte candore, macula dextrolateri ingenita, & corniculantis Lunæ imaginem referente, conspiciendus. Perpendant, qui Apin in vitulo intelligunt, utrum Aharon aliquod horum γνωρισμάτων

„ μάλλον stylo suo formaverit. *Et formavit aurum cum sty-*
 „ *lo,* ait Moses; nimirum *טחך יצר Jatz arbacheret,* id est,
 „ graphio figuravit, sive, ut habent LXX. *ἐπλασεν ἐσλή, εα-*
 „ *Φίδι.* Idolum fuisse conflatile constat; nec facile in-
 „ telligas, quid stylo fecerit, nisi notas Apidis aut ejus-
 „ modi quid inscripserit. Rudem massam inprimis
 „ conflataam volunt Ebræorum nonnulli, inde vituli
 „ figura, scalpelli seu styli opera, donatam. Magorum
 „ ars, eorum scilicet qui ex Ægyptiis proselyti erant,
 „ aliis heic latere videtur: etiam ipsum ignem ex auro
 „ liquefacto vitulum formasse, putarunt nonnulli E-
 „ bræorum, verbis commatis 24. capituli xxxii. Exodi,
 „ persuasi, uti & Macarius, Ægyptius, ni fallor, in Ho-
 „ milia xi. *ὡσπερ,* inquit, *ἐμιμήσατο τὸ πῦρ περὶ αἰρεσιν αὐτῶν.*
 „ *τὸ δὲ χρυσὸν πρῶγμα. ἐπειδὴ γὰρ καὶ περὶ θεσιν ἐν τῷ κρυπτήῳ*
 „ *καὶ τοῖς ποταμοῖς αὐτῶν ἐβέβησαν εἰδωλολατρείαν, καὶ τὸ πῦρ*
 „ *ὁμοίως τὰ ἐμβλητέηα σκόνη εἰδωλον εἰργασίη.* Quin & Dæ-
 „ monum præstigiis ipsius Apidis partum fuere qui at-
 „ tribuebant. Vide D. August. de Civit. Dei, xviii. cap.
 „ v. Cum etiam inventus Apis solenni pompa Mem-
 „ phim, Ægyptiorum Regiam, deduci à Sacerdotibus
 „ soleret, pueris in sacro illo comitatu carmen hono-
 „ ri Numinis gregatim præcinentibus; multumq; esset
 „ ob natum & repertum Deum & publicum gaudium,
 „ & πανδαίσια, sive lautissimum convivium, ut scribit
 „ Svidas; perpendant insuper sequaces Lactantii hic
 „ & D. Hieronymi verba Mosis Exodi cap. xxxii. com.
 „ 6. *Seditq; populus ut manducaret & biberet; & surrexerunt*
 „ *ut luderent,* id est, ut conflatile Numen cantu & cho-
 „ ris celebrarent. Idem enim com. 18. *Non est vox qua re-*
 „ *sonet fortitudinem, nec est vox qua resonet debilitatem, sed*
 „ *vocem*

33
vocem cantantium ego audio, sive choros ducentium, aut τῶν
δεξιῶν αὐτῶν, ut reddunt Græci; nempe comessanti-
um, seu vitulantium; quo vocabulo, hoc sensu, uti-
tur in sacris Varro apud Macrobius. Inventio Api-
dis & vituli festum enquam analoga. Post ævi spa-
tium in sacris libris præscriptum, profundo sacri-
fontis, id est, Nili, immersus Apis necabatur, nec,
diem longius trahere licebat. De qua re Papinius,
Sylvarum III. in Propemptico Metii Celeris,

--- --- --- aut quo se gurgite Nili
mergat adoratus trepidis pastoribus Apis.

Mox alius requirebatur, ea, quam diximus, solenni-
tate sacrandus. Passim sunt qui inconsideratius con-
jiciunt, quam is, qui, in opprobrium immergendi,
Apidis, Mosem vitulum combussisse in igne, contrivisse,
in pulverem, & sparsisse in superficiem aqua autumarit.
Comma 20. dicti capitis, & Deut. IIX. 21. consulenda.
Et Mosem imitatus Josias Rex, idolorum cineres, in
templo Hierosolymitano a Manasse Rege sacrato-
rum, dispergi voluit. Hæc Seldeno.

xx. Amplius & atheismi a paganis rei agebantur
Christiani, quod nimirum inveteratos Deorum cul-
tus abolerent. Vide Tertullianum in Apologetico
cap. VI, X, seqq. Arnobium lib. I, III, IV, Lactantium
lib. V, cap. IX, lib. VII, cap. XXVII, Athenagoram in A-
pologia, Justinum Martyrem in Apologia ad Antoni-
num Pium, & ipsius Antonini pro Christianis edictum,
quod legitur ad calcem jamjam laudatæ Justini Apo-
logiæ, & in Eusebii Historia Ecclesiastica (ubi tamen
per errorem Marco Aurelio adscribitur) lib. IV, cap.
XIII. Hinc solennis illa exclamatio in amphitheatris:

Atheis-
mus.

E

αἴγε

cupe Ius, à Ius, tolle atheos! Quam etiam pronunciare jubebantur, qui Christum fidemque Christianam abnegabant. Vide Epistolam ecclesiæ Smyrnenfis, apud Eusebium lib. iv Hist. eccl. cap. xv. At recte Justinus in supra laudata Apologia: *Profitemur quidem, ait, nos talium, qui habentur, Deorum esse expertes, & atheos; sed non verissimi illius Dei, patris videlicet justitiæ, & castitatis, & virtutum aliarum, & ab omni vitiositatis mixtione & labe alieni, expertes. Verum hunc ipsum, & qui ab eo venit, atq; ista nos --- docuit, filium, & Spiritum Propheticum, colimus & adoramus.*

Novæ reli-
gionis in-
trodactio.

xxi. Huc spectat, quod novam religionem introducere, sive (ut Arnobius lib. i loquitur) *inauditos cultus terrarum in orbem trahere, & ceremonias antiquitus institutas novitatis suæ superstitione contaminare* Christianos dixerunt. Quo omnino pertinent, quæ in edicto Diocletiani, (quod superest in fragmentis C. Hermogeniani lib. vii, sub titulo de Maleficis & Manichæis, ex editione J. Cujacii, P. Pithœi, & aliorum, in Collat. LL. Judaic. & Roman. tit. xiv,) habentur. Quamquam enim de Manichæis hæreticis solummodo loqui videatur istud edictum, *Manicheorum* tamen titulo omnes in universum Christianos ibi innui, dudum observarunt viri eruditi. Et alias etiam satis constat, quemadmodum cum Judæis, sic item cum pessimis quibusque hæreticis, veros Christianos confundere, consuevisse ethnicos. Sic vero in citato edicto inter alia legitur: *Dii immortales providentia sua ornare (al. ordinare) & disponere dignati sunt, quæ bona & vera sunt, & multorum & bonorum & egregiorum virorum & sapientissimorum consilio & tractatu inlibata probarentur & statuerentur;*

erentur; quibus nec obviam ire, nec resistere fas est. **NE-
QUE REPREHENDI A NOVA VETUS RELIGIO DEBET.**
Maximi enim criminis est, ea tractare (al. retractare) que
semel ab antiquis tractata & definita sunt, statum ac cursum
tenent atq; possident. Unde pertinaciam prave mentis nequissi-
morum hominum punire ingens nobis studium est. Hi enim,
qui novellas & inauditas sectas deterioribus (legendum haud
dubie, veterioribus) religionibus obponunt, ut pro arbitrio
suo pravum (al. prava) excludant, que divinitus concessa
sunt. Sic decretum illud Imperatorium. Cæterum,
in iis, quæ ad religionem pertinebant, aliquid inno-
vare velle, crimen fuisse, apud Romanos cum primis,
atrocissimum, multa præterea sunt quæ edocent. Inde
nimirum Postumius, apud Livium lib. xxxix, cap. xv:
Quoties, inquit, hoc patrum avorumq; ætate negotium est ma-
gistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent; Sacrificulos
Vatesq; foro, circo, urbe, prohiberent; vaticinos libros con-
quirerent comburerentq; omnem disciplinam sacrificandi,
præterquam more Romano, abolerent? Judicabant enim
prudentissimi viri omnis divini humaniq; juris, nihil æque dis-
solvende religioni esse, quam ubi non patrio, sed externo ritu
sacrificaretur. Sic lib. xxv, cap. I, idem Livius narrat,
cum, belli tempore, externa religio urbem incessisset,
ritusque Romani contemni cœpissent, primo secretas
bonorum indignationes fuisse exauditas, deinde ad
Patres etiam & ad publicam querimoniam rem excess-
siffe; incusatis graviter ab Senatu adilibus triumvi-
risq; capitalibus, quod non prohiberent: tandem M.
Emilio, Prætori urbis, negotium ab Senatu datum, ut
novis religionibus populum liberaret. Scilicet anim-
advertēbant Romani, mutationem religionis ipsa-

rum etiam legum & moris a majoribus traditi mutationem secum trahere. Unde Mæcenas, consilia, quibus admissis feliciter imperaturus esset, Augusto suggerens, apud Dionem Cassium lib. LII, inter alia: *Deos, inquit, semper & ubiq; ita cole, ut moribus patriæ receptum est, ad eundemq; cultum alios compelle. Peregrinarum vero religionum autores odio & suppliciis prosequere, non Deum modo gratia, quos qui contemnit, haud dubie nil aliud quoq; magni faciet; sed propterea etiam, quod, qui nova numina introducunt, multos ad usum peregrinarum legum pelliciant. Inde conjurationes, coitiones, & conciliabula existunt.* Quod svidet Mæcenas, peregrinarum religionum autores suppliciis esse afficiendos, id sane apud Romanos sic observatum esse constat. Ita Julius Paulus, Jctus sub Antonino Caracalla celebris, lib. v sententiarum receptarum tit. XXI: *Qui novas, & usu vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honestiores deportantur, humiliores capitale pœna in eos animadversum fuisse, qui novam religionem molirentur, ex Josephi libro II contra Apionem novimus.* Notanter autem Arnobius lib. II, ubi ad exprobrationem novitatis Christianæ religionis respondet: *Religionis, inquit, autoritas non est temporis æstimanda, sed numine: nec colere qua die, sed quid, cœperis, convenit intueri.* Interim accurate idem postea distinguit inter religionem ipsam, & notitiam, quam quis de ea habet; veram religionem antiquissimam esse contendens, quamvis serius ea innotuerit ethnicis. Sed dabimus ipsa antiqui & eruditi scriptoris verba. *Nisi molestum est, inquit, dicite, omnipotens & primus Deus*
novella

Novella vobis videtur res esse, & , qui eum venerantes colunt, in-
 auditas, incognitas, repentinas agitare atq; inducere religio-
 nes? est ne illo antiquius quicquam? aut, quod eum prece-
 dat re, tempore, nomine, potest aliquid inveniri? Nonne
 solus ingenitus, immortalis, & perpetuus solus est? Quis ca-
 put & fons rerum est? non ipse? cui debet eternitas hoc ipsum,
 quod nuncupatur eternitas & non ipsi? Infinita ut prodeant se-
 cula, non ex ejus perpetuitate perficitur? indubitabile istud
 & verum. Non ergo quod sequimur novum est, sed nos sero
 addidimus, quidnam sequi oporteat & colere: aut ubinam
 convenire, & spem salutis affigere, & salutaria subsidia collo-
 care. Nondum enim affulserat, qui viam monstraret erran-
 tibus, & caligine in altissima constitutis cognitionis lumen,
 immitteret, & ignorantis discuteret cœcitatem. Ita opti-
 me Arnobius.

xxii. Etiam læsa majestatis crimē (quod sacri- Crimen læ-
 legio proximum habebatur. Vide, quæ ex Ulpiani lib. sa majesta-
 vii de officio Proconsulis, l. i D. ad legem Juliam ma- ti.
 jestatis, afferuntur) Christianis impingebatur, quod
 nimirum Imperatores divino honore afficere, iisque sa-
 crificare, & per genios ipsorum jurare nollent. Lege
 Tertullianum in Apologetico cap. x, xxix, seqq. item
 xxxv, & libro ad Scapulam cap. ii, Theophilum Antio-
 chenum lib. i contra Autolyicum, Origenem lib. iix ad-
 versus Celsum, aliosq;. Sed bene Tertullianus ad
 Scapulam: Colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis li-
 cet, & ipsi expediat, ut hominem a Deo secundum, & , quicquid
 est, a Deo consecutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse
 volet. Sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor
 est. Sic & ipsis Diis major est, dum & ipsi in potestate sunt
 ejus. Itaq; & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo
 nostro

nostro & ipsius; sed quomodo precepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus, conditor universitatis, odoris aut sanguinis alicujus.

Factio.

xxiii. Audiebant item factiosi, ob conventus sacros, quos *antelucanos cœtus* vocat Tertullianus Apolog. cap. ii, & libro de corona militis cap. iii, item *nocturnas convocaciones*, lib. ii ad uxorem cap. iv; sicut *nocturnas congregaciones* appellat Minutius Felix in Octavio. Scilicet ad lumina vetustissimi Christi cultores conveniebant, & sacra sua celebrabant, paganorum metu. Interdictum enim iis erat locis publicis, & ipsa prope luce Solis, ut igni & aqua. Hinc Act. xii, 12. legimus, post recentem Jacobi Apostoli necem, in domo Mariæ multos fuisse nocturno tempore congregatos, qui orarent pro Petro carceri incluso, & jam morti destinato. Sic Tertullianus, consultus a Fabio, fugiendum nec ne sit persecutionis tempore? postquam negativam defendisset, in libro, quem de fuga in persecutione conscripsit, tandem, sub sermonis finem, hanc sibi objectionem formans: *sed quomodo colligemus, inquis; quomodo Dominica solemnia celebrabimus?* respondet, nonnullis interjectis: *si colligere interdum non potes, habes noctem luce Christi luminosi adversus eam!* Refert quoq; Plinius Secundus in celebri illa sua ad Trajanum epistola xcviij, falsos fuisse coram tribunali apostatas, quod, dum CHRISTO adhuc servirent, *essent soliti statim die ante lucem convenire.* Atq; hinc illa Cæcilii ethnici apud Minutium exclamatio: *Latebrosa* (sive, ut alii legunt, *laternosa*) *& lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula!* Quasi vero Christiani alibi convenirent noctu, quã ubi de die non liceret! quasi non in aperta & publica

publica luce conventus suos instituerent, quoties immanis persecutorum sævitia id permittebat. Cæterum, quibus exercitiis nocturnas istas horas impenderint præfisci fideles, docet inter alia apostatarum, quorum jã-jam ex Plinio mentionem faciebamus, confessio, quando videlicet ajunt, se, Christianismo adhuc addictos, in antelucanis istis congressib9 solitos esse *carmen* CHRISTO, quasi DEO, dicere *secum invicem, seq; sacramentis, non in scelus aliquod, obstringere, sed, ne furia, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent.* Vide quæ ad hæc notavimus in tract. de persecutionibus Sect. III, Num. VI. Et sane ut contra Imperatorem & rempublicam aliquid in istis suis conventibus moliti sint Christiani (quo nomine suspecti erant ethnicis) tantum abest, ut potius, sic congregati, oraverint pro Imperatoribus, pro ministris eorum, & potestatibus; pro statu seculi, pro rerum quiete; ceu testatur Tertullianus in Apologetico cap. xxxix; cui exacte consonat Arnobius sub finem libri sui IV adversus gentes.

xxiv. Magicas præterea artes impii Christianis *Magia* objecerunt, & quidem ab ipso CHRISTO acceptas. Finxerunt videlicet, CHRISTUM & ipsum fuisse Magum, Magiæq; virtute miracula factitasse, & artes magicas discipulos suos docuisse, libris nimirum de Magia editis, quos Petro ac Paulo inscripserit; uti refert Augustinus lib. I de consensu Evangelistarum cap. IX & X; qui etiam ibidem conjecturam subjungit, unde nimirum calumnia enata queat videri. *Fieri potest, ait, uti sive inimici nominis Christi, sive qui ejusmodi execrabilibus artibus de tam glorioso nomine pondus autoritatis dare se posse*

*se posse putaverunt, talia sub Christi & Apostolorum nomine scripserint. Addit item, quare ad Petrum potius & Paulum, quam ad alios Apostolos, libros istos CHRISTUM scripsisse mentiti sint. Cum vellent, inquit, tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitaverunt, ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tanquam ad illos, qui ei familiarius adhasissent, quibus illud quasi secretum digne committeretur; occurrit eis Petrus & Paulus. Credo, quod pluribus locis simul eos cum illo pietos viderunt, quia merita Petri & Pauli etiam propter eundem passionis diem celebrius & solenniter Roma commendat. Confer eundem Augustinum Serm. xi in Matthæum, Serm. xxix de verbis Apostoli, lib. xii contra Faustum Manichæum cap. xlv, Epist. v ad Marcellinum. Junge item Tertullianum Apolog. cap. xxi, xxiii, Origenem lib. ii contra Celsum, Eusebium lib. iii de demonstr. Evangelica cap. vi, Recognition. quæ Clementi Romano vulgo tribuuntur, lib. i, nec non Acta martyrum, memorata Baronio ad ann. cclxxxvi, quæ narrant, ubi candentibus prunis nudis pedibus inambularet Tiburtius Christianus, & Fabianum, Judicem ethnicum, sic compellaret: Tu, si potes, mitte manum in aquam calidam in nomine Jovis tui, & si potest Jupiter Deus tuus, faciat te non sentire ardorem. Nam mihi quidem in nomine Domini mei Jesu Christi videtur, quod super flores roseos gradiar; quia creatura ipsa creatoris sui famulatur imperio; Fabianum dixisse: Quis ignorat, artem magicam vos docuisse CHRISTUM vestrum? Et quoniam legerant vel audiverant pagani, Christum ob Herodis furorem in Ægyptum translatum, maleficis ibi artibus eum operatum dicebant, iisque instructum in
 Judæam*

Judæam remeasse. Clare id constat ex Origene, qui de Celso Epicureo, lib. 1 adversus ipsum: *Decerpens, inquit, ex Evangelio secundum Matthæum historiam de profectione Jesu in Ægyptum, non credit miraculis, quæ ibi referuntur de Josepho angeli oraculo monito, nec inquirat, num quid tectius significetur per migrationem Jesu in Ægyptum ex Judæa: sed fingit quiddam aliud, assentiens quodammodo mirificis virtutibus, quas Jesus exeruit, quibus multi inducti sunt ut eum tanquam CHRISTUM sequerentur, conatus tamen eas calumniari, quasi magicis artibus, non divina vi, editas. Ait enim, eum clam educatum, & in Ægypto mercede famulatum, peritum mirificarum ejus gentis artium inde reversum, quibus fretus pro DEO se haberi passus sit. Sic etiam Arnobius lib. 1 gentiles introducit hunc in modum de CHRISTO loquentes: Magus fuit, clandestinis artibus omnia illa miracula perfecit, Ægyptiorum ex adytis angelorum potentium nomina (quæ videlicet barbara & horrenda angelorum ac potestatum nomina suis incantationibus proferebant, eorundem vi ac virtute res illas magnas & *ἄγδαίης* fieri existimantes) & remotas furatus est disciplinas. Sed hanc paganorum impietatem castigans idem Arnobius, Cum videret, inquit, futuros vos esse gestarum ab se rerum diviniquè operis abrogatores, ne qua subesset suspicio, magicis se artibus munera illa beneficiæ largitum, ex immensa illa populi multitudine, quæ suam gratiam sectabatur admirans, piscatores, opifices, rusticanos, atq; id genus delegit imperitorum, qui per varias gentes missi, cuncta illa miracula sine ullis fucis atq; adminiculis perpetrarent. Verbo ille comescuit verminantium membrorum cruces: & illi verbo comescuerunt furialium vermina passionum. Imperio ille uno exturbavit a corporibus demonas, & exanima-*

tis suos restituit sensus: sub eorum tortantes & illi se casibus,
 iustione non alia sanitati & constantia reddiderunt. Ille no-
 tas albicantium vitiliginum manu admota deterfit: linia-
 menta & hi corporum haud dissimili conciliavere contactu.
 Ulliginosa ille & turgentia viscera siccitatem iussit recuperare
 nativam: & famuli ejus hoc modo statuerunt errantes aquas,
 & a pernicie corporum suos labi jussere per tramites. Ille ulcera
 oris inmensi, & recusantia perpeti sanitatem, intra unius ver-
 bi moram continuato frenavit a pastu: & illi haud aliter con-
 tumaciam canceris sevi ad subeundam cicatricem circumscrip-
 tis evaginationibus compulerunt. Incessum ille claudis dedit,
 visum luminibus caecis, interemptos revocavit ad vitam: nec
 minus & hi quoque contractionem relaxavere nervorum, luce
 oculos implevere jam perdita, & ab tumulis remeare defun-
 ctos exequiarum conversione jusserunt. Neque quicquam est
 ab illo gestum per admirationem stupentibus cunctis, quod
 non omne donaverit faciendum parvulis illis & rusticis, &
 eorum subjecerit potestati. Tandem concludit: Nihil,
 ut reminere, magicum, nihil humanum, prestigiosum, aut sub-
 dolum, nihil fraudis delituit in CHRISTO; derideatis licet ex-
 more, atque in lasciviam dissolvamini cachinnorum. DEUS
 ille sublimis fuit, DEUS radice ab infima, DEUS ab incogni-
 tis regnis, & ab omnium Principe DEUS sospitator est missus;
 quem neque Sol ipse, neque ulla, si sentiunt, sidera, non rectores,
 non Principes mundi, non denique Dii magni, aut, qui fingen-
 tes se Deos genus omne mortaliu[m] territant, unde aut qui su-
 erit, potuerunt noscere vel suspicari.

impostura.

xxv. Porro, quemadmodum Pharisei Salvato-
 rem nostrum vocabant πλάστωρ seu prestigiatores & se-
 ductorem, Matth. xxvii, 63. sic pagani etiam: quos omnes
 item Christianos vulgari convitio impostores appellare
 solitos

43

solitos Hieronymus indigitat, dum Epist. xix ad Marcellam: *Si tunica non casu ducit, statim illud e trivio: Impostor & Græcus est.* & Epist. x ad Furiam: *Ubi cunq; viderint Christianum, statim illud de trivio: ο γεαυδς Ιηηης.* Quæ S. Patris loca ut recte intelligantur, sciendum, Romanorum habitum proprie fuisse *togam*, sicut Græcorum, *pallium*. Sic Svetonius in Augusto cap. xcix: *Inter varia munuscula togas insuper & pallia distribuit; lege proposita, ut Romani Græco, Græci Romano habitu & sermone uterentur.* Hinc Romani dicti sunt *gens togata*. Quo de rursus Svetonius, citato loco, cap. xl: *Habitu vestitumq; pristinum reducere Augustus studuit.* At visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans: *En, ait,*

Romanos, rerum dominos, gentemq; togatam. Negotium adilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circove, nisi positis lacernis, togatum consistere. Ad quæ verba Casaubon9. *Reprehendit in aliis coloribus vestis in aliis coloribus & genus vestis. Pullati dicuntur, & qui togam sordidam & coloris obsoleti gerunt, & qui penulas, quæ pullo colore erant. Propria civium Romanorum vestis forensis toga fuit, eaq; alba.* Contra Græci dicti sunt *Palliati*, & *comœdia palliata*, quæ scriptæ sunt secundum ritus & habitus Græcorum. Autores Donatus & Diomedes; Scholiastes item vetus ad Juvenalis Satyram i, qui hæc habet: *Tria sunt genera comœdiarum: togata, ex factis vilium personarum; prætextata, ex factis nobilium personarum; palliata, ex factis quidem nobilium personarum, sed Græcarum.* Palliata ad Græcos pertinent: alia duo genera ad Latinos pertinent. Romani enim togis & prætextis utuntur. Quia proinde Græcorum pallio etiam vestiebantur Christiani (quam

F 2

quam

44
quam non omnium omnino, qui CHRISTO nomen de-
derant, sed *Ἰωὴν ἀποκρίων* tantum, gestamen id fuisse,
ut nec omnium Græcorum, sed solum Philosopho-
rum, ostendat Salmasius ad librum Tertulliani de
pallio) hinc communi scommate audiebant *Græci*, &
ab injectione pallii, quod tunicæ superimponebant,
etiam *Ἰμπεριαι*, hoc est, (ut ita dixerim) *imponentes*. Id
simpliciter accipiebat indoctum vulgus ob pallii su-
perimpositionem: cæterum literati figuratum mor-
sum intelligebant in vocabulo *Ἰμπεριαι*, quò fieret ad
impostoris nomen apud Latinos tacita allusio, hoc est,
deceptoris & hominis sanctitatem mentientis. Sal-
masius putat, quia Christiani Philosophi, viri, inquam,
ascetici, pari eum Græcis Philosophis amictu fuerint
usque, male quoque propter illos audivisse, quod ex ho-
rum numero plerique Philosophos habitu ementirentur
& fingerent, cum de cæterò pura puta mendicabu-
la essent, & impostores meri. Quam in rem Quinti-
lianus lib. 1, cap. 1: *Nostris temporibus sub hoc nomine ma-
xima in plerisque vitia latuerunt. Non enim virtute ac stu-
diis ut haberentur Philosophi laborabant, sed vultum & tri-
stitiam & dissentientem a cæteris habitum pessimis moribus
pretendebant.* Quidquid sit; præstigiatores & impo-
stores audivisse gentilibus Christianos certissimum est.
Vide Origenem lib. vi adversus Celsum, & Dialogum,
Philopatris titulum gerentem, qui Luciano tribuitur.
Cogita item, num huc pertineat, quod Ulpianus, l. 1
D. de extraordinariis cognitionibus, eos qui exorci-
zant, *impostores* appellat. Sane Ulpianum istum in-
Christianos non satis æquo fuisse animo, vel solus ille
Lactantii locus, qui lib. v divinaram ejus Institutionum

num cap. XI habetur, *persvadet: Sceleratissimi homines de contra pios jura impia condiderunt. Nam & constitutiones sacrilega, & disputationes Jurisperitorum leguntur injusta. Domitius de officio Proconsulis libris septem (libro septimo, teste Ant. Thyrio, legit antiquus codex) rescripta Principum nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui se cultores DEI confiterentur. Ubi absque omni dubio loquitur Lactantius de Domitio Ulpiano, illo Jctorum (sic enim dictus est) Coryphæo, qui de Officio Proconsulis libros decem scripsit, quorum multa in pandectis supersunt fragmenta: integri enim libri non extant. Itaque vero non videtur adeo difforme, Ulpianum, dum eos, qui *exorcizandi* verbo utuntur, *impostores* vocat, de priscis Christianis loqui; quos istud verbum identidem usurpasse constat, quando de virtute, qua pollebant, ejiciendi dæmones loquebantur. Vide inter alios Tertullianum de Spectaculis cap. xxvi, de Idololatria cap. xi, de Corona militis cap. xi, de Anima cap. LVII, de Præscriptionibus cap. xLI.*

xxvi. Ulterius convitiabantur ethnici, ut eo melius imposturas suas hominibus propinare possent Christiani, *vitari ab ipsis omnes elegantiores, quod hi non temere decipiantur; solos rusticiores illaqueari; quæ sunt maledici illius Celsi verba apud Origenem lib. VI contra ipsum. Idem, apud eundem libro III, Christianos sic introducit loquentes: Nemo accedat eruditus, nemo sapiens, nemo prudens; arcemus enim tales. Sed si quis est indoctus, insipiens, infans, sidenter veniat. Hoc pacto, subjungit obrectator, satis apparet, quod solos fatuos, ignavos, stolidos, mancipia, mulierculas, pueros, captent & pell-*

ceat. Impudentiora etiã sunt, quæ, eodẽ libro ab Origene recitata, effudit homo mendacissim9, dũ de ecclesiã Christianã doctoribus ita declamat: Videre licet & in privatis lanificum, sutorum, fullonũ a diabus, illiteratissimũ quemq; & rusticissimum coram senioribus & prudentioribus patribus familias nihil audere proloqui: ubi vero seorsum nacti fuerint pueros eorum & mulierculas imperitas, mira quædã differere: non esse audiendos parentes ac preceptores, sed sibi credendum; quod illi delirent & mente capti sint, & nihil vere bonum vel sciant vel possint facere, præoccupati nugis inanibus: ipse vero soli rationem videndi norint exactissime: & pueros beatos fore, si se audiant, atq; adeo propter eos totam familiam. Quod si interim videant accedentem aliquem e præceptoribus prudentioribus, aut ipsum patrem, tum hos, si timidiores fuerint, perterreri, sin ferociores, autores fieri pueris, ut habenas excutiant, obmurmurando, quod in præsentia patris præceptorumve nec velint nec possint quicquam boni proloqui, metu illorum stultitiæ sevitiæq; modis omnibus corruptorum & devolutorum ad fundum malitiæ, & monitores punientium: Sed si quid discere velint, debere eos, relictis patribus & præceptoribus, ire cum mulierculis & colusoribus pueris in conclave mulierum, aut officinam sutoriam fulloniamve, ut perfectionem adipiscantur, præceptis obsequendo. Idem quoque, teste iterum Origene lib. I contra ipsum, Circulatoribus, præstigiatoribus, horumque similibus Christianos comparat. Sicut enim, inquit, illius generis homines scelesti, plerumq; illudentes simplici vulgo, ducunt eum quacunq; libet, sic idem apud Christianos solet fieri. Addit mox, Christianorum esse illud: malares est mundana sapientia, bona vero stultitia. Quam calumniam Origenes ait esse enatam ex malitiosa depravatione illius Paulini: εἰς τὴν δόξαν

σοφός εἶναι ἐν ὑμῖν ἐν τῷ αἰῶνι τῷ τούτῳ, μωρὸς γινέσθω, ἵνα γένηται 1 Cor. 3, 18.
σοφός. ἢ ἂν σοφία τῷ κόσμῳ τῆς μωρίας τῷ Θεῷ ἐστὶ, Si quis 19.
sibi videtur esse sapiens inter vos in hoc seculo, stultus fiat,
ut fiat sapiens: sapientia enim mundi hujus stultitia est a-
pud DEUM. Quæ verba ita perverserint pagani, ac si
sapientiam absolute & simpliciter ex ecclesia iis pro-
scribat S. Paulus. At recte Origenes: Apostolus,
inquit, non simpliciter ait, sapientiam esse apud Deum stul-
titiã, sed sapientiam Hujus MUNDI; ac rursus non: se-
quis videtur esse sapiens inter vos, SIMPLICITER stultus fiat,
sed, IN HOC SEculo fiat stultus, ut evadat in sapientem.
Quid autem Apostolo sit sapientia hujus seculi, id am-
plius ibidem exponit. Porro de ἀπαυδῶντα & stupidi-
tate, veteribus Christianis tantopere exprobrari solita,
etiam Arnobius in suis adversus Gentes libris non
semel. Sic libro I ait: Nos hebetes, stolidi, fatui, obtusi
pronunciamur & bruti. lib. II: Nisi forte obtusi
& fatui videntur hi vobis, qui per orbem jam totum conspi-
rant & coeunt in istius credulitatis assensum. libro III: Hocci-
ne est illud fastidium vestrum, sapientia hæc arrogans, qua
despuitis nos ut rudes, atq; omnem scientiam reminere rerū vobis
divinarū patere? Tertullian^o Apolog. cap. XLIX: Hæ sunt, quæ
in nobis solis præsumptiones vocantur, in Philosophis & Poëtis
summa scientia & insignia ingenia. Illi prudentes, nos inepti: illi
honorandi, nos irridendi. Ita Cæcilio ethnico apud Mi-
nucium Felicem Christiani sunt homines indocti, impo-
liti, rudes, agrestes, quibus, inquit, non est datum intelli-
gere civilia, multo magis denegatum est differere divina. Idem
Christi cultoribus exprobrat, quod de ultima fece colle-
ctis imperitioribus & mulieribus credulis, sexus sui facilita-
te labentibus, plebem profane conjurationis instituant. Si-
milia hinc inde occurrunt apud alios ex antiquitate
scri-

scriptores. Vide Theophili Antiocheni lib. iiii ad Autolyicum, Theodoretum lib. i contra Græcos, Gregorium Nazianzenum contra Julianum, Cyrillum lib. vi contra eundem, Lactantium lib. iv, cap. xiii, lib. v, cap. xx, Prudentiū in Romano & Fructuoso, (ubi Christiani audiunt *turba imperita, & illiterata frequentia*; Christiana religio *anile dogma*; sicut *anilis superstitio* apud Minucium Felicē, & Lactantium lib. v, cap. ii, *muliebris superstitio* apud eundem Lactantium ib. cap. xiii) Lucianum in Peregrino. At recte Origenes, Celsi Epicurei scommatibus occurrens, supra memorato libro iii adversus eundem: *Imo, inquit, accedat ad nos vel doctus, vel sapiens, vel prudens, quicumq; vult. Sed nihilominus accedat etiam indoctus, & insipiens, & rudis, & infans. Nam talibus, si accesserint, medicinam pollicetur verbum Dei, omnes reddens Deo idoneos. Falsum autem est, pergit amplius, & illud, solos fatuos, ignavos, insensatos, mancipia, mulierculas, pueros, captari a verbi divini predicatoribus. Vocat quidem etiam hoc predicatio, ut meliores reddat; sed vocat etiam multos his prestantiores: quoniam salvator est omnium hominum CHRISTUS. Quin tantum abesse asserit Adamantius, ut Christiani doctos & sapientes homines a suis cœtibus arceant, ut potius veram eruditionem, & qui illa sint instructi, suspiciant ac venerentur. Quid mali est, ait, eruditum esse, disciplinis optimis excoluisse ingenium, prudentem esse & haberi? Quid hæc obstant cognitioni DEI? annon potius conducunt ad assequendam veritatem? Est igitur res non mala eruditio vera, quippe qua ad virtutem via est. Sic Origenes; qui & lib. vi contra Celsum, ecclesiam viris sapientibus variaq; eruditione conspicuis nunquam fuisse destitutam, multis in medium allatis exemplis ostendit.*



CALUMNIIS IN VETERES
CHRISTIANOS A GENTILIBUS
SPARSIS

DIATRIBE III.

Eousq; autem processit olim gentilium cavillan- *Barbaries.*
di libido, ut nec illud relinquere potuerint in-
tactum, quod nonnulla Christianorum scripta,
parum puro sermone fuerint concinnata; quin ob hoc
ipsum, ne fidem iis haberent, persuadere mortalibus
annisi sint. Sic Arnobius lib. I: *Barbarismis, solæcis-*
mis, obsita sunt, inquit paganus, res vestrae, & vitiorum,
deformitate polluta. Paulo ante hanc de Christianorum
monumentis ex gentiliū ore objectionem protulerat:
Ab indoctis hominibus & rudibus scripta sunt, & idcirco non
sunt facili auditione credenda. Plane uti Lactantius lib.
v, cap. I: *Non credunt ethnici illis, qui divina interpre-*
tantur, quia sunt ipsi aut omnino rudes, aut certe parum
docti. Sane ipsas sacras literas ob styli simplicitatem
paganos sprevisse, idem Lactantius eodem loco docet.
Verba ejus sunt: *Hac in primis causa est, cur apud sapien-*
tes, & doctos, & principes hujus seculi, scriptura sancta,
fide careat, quod Propheta communi ac simplici sermone, ut
ad populum, sunt locuti. Contemnuntur itaq; ab iis, qui ni-
hil audire vel legere nisi expolitum ac disertum volunt; nec
quicquam inherere animis eorum potest, nisi quod aures blan-
diori sono permulcet. Illa vero, quae sordida videntur, ani-
lia, inepta, vulgaria existimantur. Adeo nihil verum pu-
tant,

tant, nisi quod auditu suave est; nihil credibile, nisi quod potest incutere voluptatem. Nemo rem veritate ponderat, sed ornatu. Non credunt ergo divinis, quia fucō carent. Sic lib. vi, cap. xxi, is ipse autor: *Assueti dulcibus & politis sive orationibus, sive carminibus, divinarum literarum simplicem communemq; sermonem pro sordido aspernantur. Id enim querunt quod sensum demulceat.* Confer lib. iii, cap. i, & junge Justinī Apologiam, quæ priori loco poni solet, Theophilum Antiochenum lib. i ad Autolycum, Tatianum Orat. contra Græcos, Theodoretum Serm. v ad Græcos, Isidorum Pelusiotam lib. iv, Epist. xxvii, xxix, xxx. Sed graviter Arnobius, ubi supra: *Cum, inquit, de rebus agitur ab ostentatione submotis, quid dicatur spectandum est, non, quali cum amœnitate dicatur: nec quid aures commulceat, sed quas afferat audientibus utilitates; maxime cum sciamus, etiam quosdam sapientiæ deditos non tantum abjecisse sermonis cultum, verum etiam, cum possent ornatiùs atq; uberius eloqui, trivialem studio humilitatem secutos, ne corrumpèrent scilicet gravitatis rigorem, & sophistica se potius ostentatione jactarent.* Præmiserat immeditate, quæ subjicio: *Pompa ista sermonis, & oratio missa per regulas, concionibus, litibus, foro, judiciisq; servetur, deturg; illis imo, qui voluptatum delinimenta querentes, omne suum studium verborum in lumina contulerunt.* Quibus exacte respondent illa Cypriani ad Donatum Ep. ii: *In judiciis, in concione, pro rostris, opulenta facundia volubili ambitione jactetur; cum de Domino DEO vox est, vocis pura sinceritas non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus.* Obiter heic notari potest discursus Arnobii, quo contendit, sermonem minus tersum & comptum ipsarum rerum cognitioni nihil

51

nihil prorsus officere. Ubi enim mentionem fecerat cavilli illius ethnici, Christianorum scripta susq; deq; habenda esse, quod barbarismis obsita sint & solæcismis: *Puerilis sane, inquit, atq; augusti pectoris reprehensio. Quam si admitteremus ut vera sit, abjiciamus ex usibus nostris quorundam fructuum genera, quod cum spinis nascuntur & purgamentis aliis, quæ nec alere nos possunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo quod principaliter antecedit, & saluberrimum nobis voluit esse natura. Quid enim officit, o quaso, aut quam prestat intellectui tarditatem, utrumne quid grave, an hirsuta cum asperitate promatur? inflectatur quod acui, an acuat quod oportebat inflecti? aut qui minus id quod dicitur verum est, si in numero peccetur, aut casu, præpositione, participio, conjunctione?* Erudite etiam paulo postidem Arnobius disputat, quod hoc vel illo modo verborum structura in sermone conformari debeat, id non ex naturali quadam ratione, sed unice ex hominum arbitrio ac placitis pendere. *Si verum spectes, inquit, nullus sermo natura est integer, vitiosus similiter nullus. Quanam est enim ratio naturalis, aut in mundi constitutionibus lex scripta, ut HIC PARIES dicatur & HÆC SELLA? cum neq; sexus habeant femininis generibus masculinisq; discretos, neq; quisquam docere doctissimus me possit, ipsum HIC & HÆC quid sint, aut cur ex his unum sexum virile designet, femininis generibus id quod sequitur applicetur. Humana ista sunt placita, & ad usum sermonis faciendi non sane omnibus necessaria. Nam & HÆC PARIES forsitan, & HIC SELLA, dici sine ulla reprehensione potuissent, si ab initio sic dici placuisset, & a sequentibus seculis communi esset in sermocinatione servatum.* Hæc Arnobius, iis omnino gemina, quæ habet Augustinus lib. ii de do-

strina Christiana cap. XIII. *Utrum*, ait ille, *INTER HOMINES*, an *INTER HOMINIBUS* dicatur, ad rerum non pertinet cognitorem. Et mox: *Utrum IGNOSCERE* producta tertia syllaba vel correpta dicatur, non multum curat, qui peccatis suis Deum, ut ignoscat, petit: quolibet modo illud verbum sonare potuerit. Amplius: Illud etiam, quod jam auferre non possumus de ore cantantium populorum: Super ipsum autem *FLORIET* sanctificatio mea; nihil profecto sententia detrahit, inquit. *Ista ergo*, concludit tandem, facile etiam contemni possunt, si quis ea cavere noluerit, qua sano intellectui nihil detrahunt.

Pf. 131, 18.

Credulitas.

XXIIX. Satis apparet ex citatis supra, num. xxiv, Autorum locis, etiam eo nomine Christi servos ab impiis fuisse exagitatos, quod nimis essent creduli, & absurda ac ridicula quævis persvaderi sibi paterentur. Id clarius proponit Arnobius lib. II, dum ait: *Ridere nostram fidem consvestis, atq; ipsam credulitatem facietis jocularibus lancinare*. Et paulo post: *Cum comperti nihil habeatis & cogniti, omniaq; illa, quæ scribitis, & librorum comprehenditis millibus, credulitate asseveretis duce, quanam hæc est judicatio tam injusta, ut nostram derideatis fidem, quam vos habere conspicitis nostram in credulitate communem?* Interjectis aliquibus, producit Arnobius eorum nonnulla, quæ a Christianis credebantur, a paganis autem ridebantur. *Audetis ridere nos*, ait, *quod patrem rerum ac DEUM veneramus & colimus; quodq; illi dedamus & permittamus spes nostras? --- Audetis ridere nos, quod mortuorum dicamus resurrectionem futuram? --- Audetis ridere nos, quod animarum nostrarum provideamus salutem? --- Audetis ridere nos, cum gebennas dicimus, & inextingvibiles quosdam ignes, in quos animas dejici ab earum hostibus inimicisq; cognovimus?*

Gemina

Gemina habentur apud Minutium Felicem in Octavio. Ridens enim ibi summa Christianæ religionis capita. Cæcilius, homo ethnicus: *Christiani*, ait, *quenam monstra, quæ portenta confingunt! DEUM illum suum, quem nec ostendere possunt, nec videre, in omnium mores, actus omnium, verba deniq; & occultas cogitationes diligenter inquirere! discurrentem scilicet, atq; ubiq; præsentem.* Molestum illum volunt, inquietum, impudenter etiam curiosum: siquidem adstat factis omnibus, locis omnibus inerrat: cum nec singulis inservire possit per universa districtus, nec universis sufficere in singulis occupatus. Quid? quod toti orbi, ipsi mundo cum sideribus suis, minantur incendium, ruinam moliuntur. Quasi aut naturæ divinis legibus constitutus æternus ordo turbetur, aut, rupto elementorum omnium federe, & cælesti compage divisa, moles ista, qua continetur & cingitur, subruatur. Nec hac furiosa opinione contenti, aniles fabulas adstruunt & annectunt. Renasci se ferunt post mortem, & cineres & favillas; & nescio qua fiducia mendaciis suis indicem credunt. Putes eos jam revixisse. Anceps malum, & gemina demencia! cælo & astris, qua sic relinquimus ut invenimus, interitum denunciare: sibi mortuis, extinctis, qui sicut nascimur, & interimus, æternitatem repromittere. Inde videlicet & execrantur rogos, & damnant ignium sepulturas. Quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen & ætatibus in terram resolvatur; nec intersit, utrum fera diripiant, an maria consumant; an humus contegat, an flamma subducatur: cum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, pœna sit, si nō sentiunt, ipsa consociendi celeritate medicina. Hoc errore decepti, beatam sibi, ut bonis, & perpetem vitā mortuis pollicentur, ceteris, ut injustis, pœnam sempiternam. ---- Omnia ista figmenta male sanæ opinionis, & inepta solatia, a Poëtis fallacibus in dul-



cedine carminis lusa, a vobis nimium credulis in DEUM vestrum turpiter reformata sunt. Adde Celsum Epicureum, qui, teste Origene, lib. 1 eorum quos ipsius calumniis opposuit, Christianis objicit, quod rationem fidei nec reddere velint, nec recipere, sed usurpent illud dictum: μή ἐξετάζει, ἀλλὰ πιστεύει, ne examina l. inquire, sed crede. Demolitur autem hanc accusationem (quæ etiam est Juliani apud Nazianzenum) Origenes ibidem prolixè, cum quo confer heic Theodoretum lib. 1 adversus Græcos, & Augustinum libro de utilitate credendi. Obiter heic notamus, etiam a Valentinianis hæreticis SIMPLICES olim appellatos fuisse Christianos Catholicos. Testis luculentus est Tertullianus; qui libro adversus Valentinianos cap. 11: *Simplices*, inquit, *notamur apud illos, ut hoc tantum, non etiam sapientes.* Subjungit autem illico: *Quasi statim despicere cogatur a simplicitate sapientia; Domino utramque jungente: Estote prudentes ut serpentes, & simplices ut columba.* Aut si nos propterea insipientes, quia simplices, num ergo & illi propterea non simplices, quia sapientes? *Nocentissimi autem qui non simplices, sicut stultissimi qui non sapientes.* Et tamen malim in eam partem meliori sumi vitio, si forte præstat minus sapere quam pejus, errare quam fallere. Porro facies Dei expectat in simplicitate quærentes, ut docet ipsa Sophia, non quidem Valentini, sed Salomonis. Deinde infantes testimonium Christi sanguine litaverunt. Pueros vocem, qui crucem clamant? nec pueri erant, nec infantes, id est simplices, non erant. Repuerascere nos & Apostolus jubet secundum Deum, ut malitia infantes per simplicitatem, ita demum sapientes sensibus simus, divina sapientia ordinem de simplicitate amando. In summa, Christum columba demon-

Matth. 10, 16.

Sap. 1, 1.

1. Cor. 14, 20.

demonstrare solita est, serpens vero tentare. Illa & a primordio divina pacis praeo: ille a primordio divina imaginis praeo. Ita facilius simplicitas sola DEUM & agnoscere poterit & ostendere, prudentia sola concutere potius & prodere.

xxix. Insuper & inertia Christianis objecta est, quodque inutilia essent terræ pondera, nec ullum rebus humanis commodum afferrent, ipsis fuit exprobratum. Ita constat ex Tertulliano, qui in Apologetico, cap. XLII, disertè: *Sed alio quoq; ait, injuriarum titulo postulamur, & infructuosi in negotiis dicimur.* Absq; dubio huc etiam respicit Svetonius, dum, in vita Domitiani cap. xv, Flavium Clementem (quem Christianum fuisse, in tract. de persecutionibus ecclesiæ, sect. II, num VI, ex Dione Cassio ostendimus) hominem vocat *contemptissima inertia.* Merito autem miratur Tertullianus, laudato loco, qua fronte pagani istud convitium in Christianos projiciant, qui utique cum ipsis degant, *ejusdem victus, habitus, instructus, ejusdem ad vitam necessitatis?* Neq; enim, ait, *Brachmanæ aut Indorum Gymnosophista sumus, Sylvicola & exules vite. Meminimus, gratiam nos debere Domino Deo creatori, nullum fructum operum ejus repudiamus. Plane temperamus, ne ultra modum aut perperam utamur. Itaq; non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, caterisq; commercii cohabitamus in hoc seculo. Navigamus & nos vobiscum, & militamus, & rusticamur, & mercamur: proinde miscemus artes, opera nostra publicamus usui vestro. Quomodo, concludit proinde, infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus & de quibus vivimus, non scio.* Interim mox indicium facit idem scriptor, quid forte impulerit gentiles, ut infructuosos dicerent Christi servos; quia videlicet nonnulla, quæ

quæ pro illicitis reputabant, communia cum ipsis ha-
 bere abnuerent. Sic nimirum pergit: *Sed si ceremo-
 nias tuas non frequento, attamen & illa die homo sum. Non
 labor diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam:
 attamen labor honesta hora & salubri, quæ mihi & calorem
 & sanguinem seruet. Rigere & pallere post lavacrum mor-
 tuus possum. Non in publico Liberalibus discumbo, quod be-
 stiariis suprema cœnantibus mos est: attamen ubi ubi de copiis
 tuis cœno. Non emo capiti coronam. Quid tua interest, em-
 ptis nibilo minus floribus quomodo utar? puto gratius esse li-
 beris, & solutis, & undiq; vagis. Sed & si in coronam co-
 actis, nos coronam naribus novimus; viderint qui per capillum
 odorantur. Spectaculis non convenimus: quæ tamen apud il-
 los cœtus venditantur, si desideravero, liberius de propriis lo-
 cis sumantur. Thura plane non emimus. Si Arabia que-
 rantur, sciant Sabæi, pluris & carioris suas merces Christianis
 sepeliendis profigari, quam Diis fumigandis. Certe,
 inquitis, templorum vectigalia quotidie decoquunt, stipes
 quotusquisq; jam jactat. Non enim sufficimus & hominibus
 & Deis vestris mendicantibus opem ferre, nec putamus aliis
 quam petentibus impertiendum. Deniq; porrigat manum
 Jupiter & accipiat, cum interim plus nostra misericordia in-
 sumit vicatim, quam vestra religio templatim. Sed cetera
 vectigalia gratias Christianis agunt ex fide dependentibus de-
 bitum, quæ alieno fraudando abstinemus: ut si ineatur,
 quantum vectigalibus pereat fraude & mendacio vestrarum
 professionum, facile ratio haberi possit, unius speciei querela
 compensata pro commodo ceterarum rationum. Multa
 his simillima legas apud Minutium Felicem, sub finem
 Octavii. Inter alia de floribus & coronis hæc tibi Cæ-
 cilius: *Quis ille, qui dubitat, vernis indulgere nos flori-
 bus,**

bus, cum capiamus & rosam veris, & liliū, & quidquid aliud in floribus blandi coloris & odoris est? his enim & sparsis utimur mollibus ac solutis, & fertis colla complectimur. Sane quod caput non coronamus, ignoscite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire. Sed ad Tertullianum revertamur. Monet ille porro, in pravis operibus Christianos omnino frigidos esse ac inertes; sed illam inertiam compensari ab ipsis sedulitate & industria laudabili, quam in operibus bonis & honestis peragendis adhibeant. *Plane, inquit, confitebor, qui conqueruntur. Nam si qui forte vere de sterilitate Christianorum conqueri possint, primi erunt lenones, perdures, aquarioli; tum sicarii, venenarii, magi: item arioli, aruspices, Mathematici. His infructuosos esse magnus fructus est. Et tamen, quodcumq; dispendium est rei vestrae per hanc sectam, cum aliquo presidio compensari potest. Quantos habetis, non dico, qui jam de vobis demonia excutiant; non dico jam qui pro vobis quoq; vero DEO preces sternant, quia forte non creditis; sed a quibus nihil timere possitis? Tandem accusationem de *avaritia* in ipsos paganos retorquet, eos esse dititans, qui magnum reipublicae detrimentum afferant, dum tot justis optimisque viris, Christianis videlicet innocentibus, illam orbent. Illud, ait, detrimentum reipublicae tam grande quam verum nemo circumspicit, illam injuriam civitatis nullus expendit, cum tot justis impendimur, quum tot innocentes erogamur. Vestros enim jam contestamur actus, qui quotidie judicandis custodiis praesidetis, qui sententiarum elogia dispungitis. Tot a vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur. Quis illic sicarius? quis manticularius? quis sacrilegus, aut corruptor, aut lavantium prado? quis ex illis etiam Christianus adscribitur?*

H

aut,

aut cum Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De vestris semper aestuat carcer; de vestris semper metalla suspirant; de vestris semper bestia saginantur; de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic Christianus, nisi plane tantum Christianus; aut si & aliud, non iam Christianus. Rursum gemina his, imo eadem, habentur apud Minutium Felicem. Ait quippe ibi Cæcilius: De vestro numero carcer exaestuat: Christianus ibi nullus, nisi aut reus sue religionis, aut profugus. Sic item Lactantius lib. v, cap. ix: Non de nostro, sed ex illorum numero, semper existunt qui vias obsideant armati, maria prædentur; vel, si palam grassari non licuit, venena clam temperent; qui uxores necent, ut dotes earum lucrentur, aut maritos, ut adulteris nubant; qui natos ex se pueros aut strangulent, aut, si nimium pii fuerint, exponant; qui libidines incestas nec a filia, nec a sorore, nec a matre, nec a Sacerdote contineant; qui adversus cives suos patriamq; conjurent; qui nec culeum metuant; qui deniq; sacrilegia committant. Confer Tertulliani librum ad Scapulam cap. ii.

Artes sordidas.

xxx. Sed & hoc nomine Christianos irridet Cæcilius apud Minutium, quod sint artium sordidarum, sive quod manibus laborent, vilibusq; opificiis victum querant. Unde & Octavius, hominem Christianum, PISTOREM per contemptum appellat. Dum enim in Christianos prolixè declamasset, multisq; calumniis & injuriis eos onerasset, tandem: Et quid ad hæc, inquit, audet Octavius, homo Plantinae profapie; ut pistorum præcipuus: ita postremus Philosophorum? Eadem de causa Juvenalis Satyra iv, 153. Christianos vocat CERDONES. Loquens enim de Domitiano,

Sed perit, ait, postquam cerdonibus esse timendus
cæperat. --- --- ---

Scilicet

Scilicet obiisse tyrannum indicat, cum in Christianos
 scire incepisset. Ortum autem scomma hoc dubio
 procul inde, quod Christiani veteres ex disciplina sua
 præscripto opere quotidiano alimenta quærebant.
 Quam in rem videsis Act. xix, 3. Basilium M. in Regu-
 lis fuse explicatis, Quæst. xxxvii, (apud quem & alias
 in ἀσχητικαῖς non semel illa veterum Monachorum ἐγ-
 γράμματα sive χειρῶν γράμματα memorantur) Hieronymum Epist.
 iv ad Rusticum Monachum, cap. v, & de regulis Mo-
 nachorum cap. xix, Augustinum libro de opere Mo-
 nachorum, Cassianum de spiritu acedia cap. vii, seq.
 Theodoretum serm. ix, Chrysostomum Homil. ii in
 Epistolam ad Romanos, Epiphanium hæ. lxxx. Apud
 Romanos autem omne opus, quod manibus elabora-
 batur, turpe ac probrosū erat, artesq; sulariæ & sor-
 didæ solis servis exterisq; exercendæ tradebantur; idq;
 ex præscripto Romuli, de quo Dionysius Halicarnas-
 sensis lib. ii Antiqu. Rom. cap. xxix: *Sellularias, inquit,
 ac sordidas & turpium cupiditatum incitatrices artes, ut cor-
 poribus atq; animis tractantium noxias & pestiferas, servis &
 exteris exercendas tradidit; longosq; tempore pudori fuerunt
 Romanis operata alia, ita ut nemo ex indigenis animum ad eas
 applicaret. Ita, inquã, de Romulo Halicarnassens;* qui &
 lib. ix, cap. xxxi, scribit: *Nemini civi Romano cauponari, aut
 arte manuarum victum querere, licebat.* Sic item Plato, lib.
 v de Legibus, sordidas artes ex bene constituta civita-
 te eiecit. *Quæstus, ait, in hac civitate non multus. Neq;
 enim oportet in ea, neq; licet, illiberali quæstui quonquam in-
 cumbere, neq; mechanicum illud & infame querere lucrum,
 quod mores generosos inquinat, neq; existimare, ullo pacto vi-
 libus ex rebus & turpibus pecunias cumulandas.* Pari modo

& Socrates, apud Xenophontem lib. iv memorabiliū, qui mechanicas artes tractant, ἀνδραποδῶδες vocat, seu serviles & (ut sic dicam) mancipiales. Confer eundem Xenophontem in Oeconomico cap. vii. Thespientes etiam turpe censuisse artem didicisse, vel arvo studuisse, observat Cœlius Rhodiginus lib. xxi Lect. antiq. cap. XLIX.

Thyesteæ
convivia &
Oedipodei
concupitus.

XXXI. Sed tempus est, ut ad famosa illa duo scelera, quibus præcipue infamabantur hominumq; odio exponebantur Christiani, considerata tandem descendamus. Erant illa Thyesteæ epulæ & Oedipodei incestus; de quibus passim ii, qui Apologiis suis causam Christianorum in primitiva ecclesia egerunt. Sic Athenagoras in Oratione pro Christianis: *Epulas detestandas, inquit, & concubitus incestos fingere de nobis audent gentiles, partim, ne temere nobis infensi videantur; partim, quod ita existiment vel nos metu perculsos a nostra professione abduci, vel Principum animos, propter flagitiorum magnitudinē, adversus nos concitari & exasperari posse.* Theophilus Antiochenus lib. iii ad Autolyicum: *Ajunt, nostras uxores esse communes, & promiscuo concubitu nos uti criminantur. His accedit, quod crimini nobis vertunt, quasi nec a propriis sororibus nobis temperemus, verum & has incesta libidine temerario ausu violemus. Istud præterea & summe impium & crudelissimum est, quod nobis intentant, crimen, dum humanis nos carnibus vesci ajunt.* Tertullianus Apolog. cap. vii: *Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii, & pabulo inde, & post convivium incesto, quod ever fores luminum canes, lenones scilicet, tenebrarum & libidinum impiarum in verecundia procurent. Dicimur tamen semper, nec vos, quod tamdiu dicimur, eruere curatis.* Confer eundem

dem Apologetici cap. ii. Latius hæc exponit Cæcilius, homo ethnicus, apud Minutium Felicem. *De initiandis tirunculis*, ait, *fabula tam detestanda quam nota est. Infans farre contactus, ut decipiat incautos, apponitur ei qui sacris imbuatur. Is infans a tirunculo farris superficie quasi ad innocios ictus provocato, cæcis occultisque vulneribus occiditur. Hujus, proh nefas! sitienter sanguinem lambunt; hujus certatim membra dispartunt; hac sæderantur hostia; hac conscientia sceleris ad silentium mutuumpignerantur. Hac sacra sacrilegiis omnibus terriora. Et de convivio notum est, passim omnes loquuntur. Id etiam Cirtensis nostri testatur oratio. Ad epulas solenni die coeunt, cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines, & omnis ætatis. Illic post multas epulas, ubi convivium caluit, & incesta libidinis fervor ebrietate exarsit, canis, qui candelabro nexus est, jactu offulæ ultra spatium lineæ, qua vincit, ad impetum & saltum provocatur. Sic everso & extincto conscio lumine, impudentibus tenebris nexus infanda cupiditatis involvunt per incertum fortis, & si non omnes opera, conscientia tamen pariter incesti; quoniam voto universorum appetitur, quidquid accidere potest in actu singulorum. Adde, quæ habent Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, & in utraque Apologia pro Christianis, Origenes lib. vi contra Celsum, (ubi a Judæis has in Christianos calumnias sub ecclesiæ primordia fuisse sparsas ait) Salvianus lib. iv de providentia Dei, Lactantius lib. vii, cap. xxvii, Christiani Lugdunenses ac Viennenses in sua ad fideles Asiam ac Phrygiam incolentes Epistola, quæ extat apud Eusebium sub initium libri v Historiæ ecclesiasticæ. Junge item Eusebium ipsum lib. iv Hist. Eccles. cap. vii; qui simul docet, calumniis istis fene-*

fram aperuisse Carpocratem & Gnosticos, hæresium, ac impietatum a Simone Mago antea sparsarum propagatores. Contigit, inquit Eusebius, ut diabolus, qui malis delectatur, opera eorum hæreticorum uteretur, ut, qui fidem receperant, illorum suasu non solum in fraudem inducti, ad acerbum adeo & miserabilem interitum quasi constricti abriperentur; verum etiam gentilibus ansam præberent sacrosancto Dei verbo petulanter impieque obtrectandi, eo plane consilio, ut fama de istorum flagitiosa vita passim dissipata, turpem ignominia notam universæ Christianorum multitudini inurerent. Unde certe accidit, ut nefaria quadam opinio de nobis concitata, eaque ab omni ratione alienissima, per infidelium animos longe lateque pervaderet, quod videlicet tum nefando concubitu matres & sorores violare, tum etiam scelerato quodam alimenti genere uti non vereremur.

xxxii. Sane, hæreticos occasionem dedisse, ethnicis, ut veris Christianis infensi essent, etiam vetustissimus scriptor Irenæus testatur, qui de Carpocratianis verba faciens lib. i. adversus hæreses, cap. xxiv: Et ipsi, inquit, ad detrectationem divini nominis & ecclesie, quemadmodum & gentes, a Satana præmissi sunt, uti secundum alium modum, quæ sunt illorum, audientes homines, & putantes omnes nos tales esse, avertant aures suas a præconio veritatis: aut ut videntes quæ sunt illorum, omnes nos blasphement, in nullo eis communicantes, neq; in doctrina, neq; in moribus, neq; in quotidiana conversatione. Simili modo Epiphanius, hæresi xxvii, de Gnosticis: Sunt, ait, ex Satana subornati ac producti in opprobrium ac scandalum ecclesie Dei. Indiderunt enim sibi ipsis cognomen Christianorum, ad hoc, ut gentes per ipsos offendantur, & sanctæ ecclesie Dei utilitatem, & veram prædicationem, propter illo-
rum,

*rūm nefaria facta & incomparabilem improbitatem, aver-
sentur, & ut gentes, ipsorum assiduo nefaria opera consideran-
tes, putent, etiam sanctas Dei Ecclesias tales esse, & avertant,
velut dixi, aures a Dei ac veritatis doctrina. Ita maledi-
cum illum Celsum ea, quæ hæreticorum essent, Chri-
stianis impudenter objecisse & imputasse, ex Origenis
libro VI, quem magno huic calumniatori opposuit, no-
vimus.*

xxxiii. Sed pressius aliquanto dispiciendum,
quænam illa sint adeo nefanda hæreticorum facinora,
unde ansam acceperint ethnici Thyesteas epulas &
Oedipodeos incestus Christianis objiciendi. De Ca-
taphrygibus & Pepuzianis Augustinus libro de Hære-
sibus ad Quotvultdeum, hæresi xxvi, xxvii: *Sacramen-
ta, inquit, perhibentur funesta habere. Nam de infantis an-
niculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctio-
num vulneribus extorquent, quasi eucharistiam suam conficere per-
hibentur, miscentes cum farina, panemque inde facientes. Qui
puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre; si autem
vixerit, pro magno Sacerdote. Ante Augustinum Phila-
strius, hæresi xlix, de Cataphrygibus: Dicunt, ait, eos
de infantis sanguine in paschate miscere in suum sacrificium.
Epiphanius hæresi xlix: In hæresi, inquit, Quintilliano-
rum sive Priscillianorum & Pepuzianorum horrendum ac ne-
farium quoddam opus fieri dicunt. Puerum enim quendam,
valde infantem in festivitate quadam per totum corpus acris
aciculis compungentes, sanguinem ipsius sibiipsis comparant, ad
apparatum videlicet sacrificii. Idem Epiphanius, hæresi
xxvi, de Gnosticis: Detractum foetum, scribit, quocumque
tandem tempore id aggressi fuerint, accipiunt, & in morta-
rio quodam pistillo tundunt, & admixto melle accipere & aliis
quibus-*

quibusdam aromatis ac unguentis ad avertendam nauseam, sic congregati omnes porcorum ac canum horum sodales participes sunt contusi pueri; atque sic, humane carnis esuperactō, deinceps preces fundunt ad Deum. Paulo ante dixerat: Ipsam suam synaxin ac communionem turpitudine multiplicis coitus polluunt, comedentes ac contingentes tum humanas carnes, tum immunditias. Nonnullis interjectis pergit: Larga & opipera edulia, carnis esum & vini potum, apponunt, etiamsi pauperes fuerint. Ex hoc autem ubi compotarunt, & venas, ut ita dicam, satietate impleverunt, ad æstrum se convertunt. Et vir quidem concedens uxorem alteri, ad ipsam dicit: Surge, fac dilectionem cum fratre. De Florianis sive Carpocratianis iterum Philastrius hæresi LVII tradit, quod in ecclesia sua post occasum Solis, lucernis extinctis, misceri cum mulierculis non dubitaverint, legis præceptum implere putantes: nascimini & multiplicamini; Judaismo potius & paganitati parere nefanda, quam Christiana veritati acquiescere properantes, pecudumque vitam potius & amentiam detinentes. Eadem de illis diu ante retulit Clemens Alexandrinus, lib. III Stromatum, cap. I. Nam recensitis Carpocratianorum dogmatis, subjicit. Hos dicunt, & aliquot alios similium malorum (τῶν ὁμοίων κακῶν, est in Græco: pro quo Sylburgius mallet κακῶν, id est, improbitatum) amulatores, ad cœnas convenientes (neque enim dixerim apagen eorum congressionem,) viros simul & mulieres, postquam satietate venerem excitante (πλησμονῆ τῆ κατελώσῃ, ut Heinsius emendat) exsatiati fuerint, lumine amoto, quod eorum fornicatoriam hanc justitiam pudore afficiebat, aversa lucerna coire quomodo velint, & cum quibus velint: meditato autem in ejusmodi agape communionem, interdum jam, a quibus velint mulieribus exigere Carpocrateæ (divina enim

enim

enim nefas est dicere) legis obedientiam. Vocat Carpocrateam legem, sicut Theodoretus lib. i hæreticarum fabularum, cap. de Carpocrate, *legem impudicitiae*. Qui tamen paulo post, cap. de Prodico, non ipsum Carpocratem, sed discipulum ejus Prodicum, cujus sectatores se falso nomine *Gnosticos* appellare ait, pessimæ consuetudinis, quam e Philastrio & Clemente recensuimus, auctorem facit, ipso etiam Clemente in hanc rem laudato. Epiphanem, inquit, (is Carpocratis filius fuit) *secutus Prodicus, eorum, qui Adamitæ dicuntur, heresim constituit. Is aperte & palam scortari, adjecit decretis Carpocratis. Mulieres enim esse communes constituit. Quamobrem non solum in convivis publicis, candelæ lumine e medio sublato* (sic enim vertendum erat, quod in Græco legitur, τὸ λυχνιαῖον φῶς ἐκποδῶν τῶν μένων) *in quamcunque inciderat, cum ea unusquisque coibat; sed etiam mystica initia ejusmodi incontinentiam existimabant. Atque hujus quidem testem etiam Stromateum Clementem producam.*

xxxiv. Ex his infandis hæreticorum facinoribus nata creduntur istæ adversus Christianos veteres calumniæ, de quibus supra dicebamus. Sed enim, si dixerimus, illa quæ adductis hæreticis tribui audivimus, non usque adeo certa videri, quin de iis dubitare liceat, nihil forte absurdi designaverimus. Cur ita sentiam, dicam paucis, iudicio interim ac decisioni doctiorum rem omnem committens. Primo notum est, iis, qui pro veteribus Christianis Apologetica scripserunt, in more positum esse, ut, quoties flagitii alicujus rei aguntur fideles, ad quod ipsis impingendum ansam dedere hæretici, fateantur, esse quidem nonnullos, qui ejusmodi se sceleribus contami-

I
nent,

nent, sed illos non nisi nomen cum veris Christianis commune habere, nec pro fratribus ab iis ullo modo agnosci, quin potius pro diaboli organis & mancipiis haberi. Facitaq; fuisse in primitiva ecclesia hæreticos, qui talia patruerint, qualia Christianis fuisse ab ethnicis objecta supra audivimus, quid causæ, quod ex omnibus, qui Christianorum susceperunt patrocinium, nec unus inveniatur, qui ejusmodi scelera in hæreticos transferre ausus sit? Nemo sane commodius id præstitisset, quam Justinus Martyr in Apologia ad Antoninum Pium, ubi exprobrat paganis, quod veros Christianos persecutionibus premant, Simonem Magum vero ejusque assecclas & discipulos, qui nominatenus Christiani sint, non tantum non persecuti fuerint aut persequantur, sed honoribus etiam afficiant; cum tamen impia & blasphema eorum dogmata in propatulo sint. Heic inquam, Justinus, si credidisset, hæreticos ex Simonis schola oriundos, scelerum, quorum postulantur a sequentium temporum scriptoribus, fuisse reos, oportune urgere potuisset, ferrum & flammam, quibus subinde vexabantur Christiani, in hæreticos istos potius convertenda esse, ut qui reverentia designarent, qualia *ἡρώδης* Christi cultoribus & confessoribus affingerentur. Verum enim vero, licet alias eorum impietates & absurditates in scenam producat Justinus, tantum tamen abest, ut Thyestæ cœnæ & Oedipodei concubitus ipsos insimulet, ut potius conceptis verbis profiteatur, an infamia illa & fabulosis in vulgus sparsa sermonibus facinora in se admittant hæretici illi, lucernæ videlicet everisionem, & promiscuos concubitus, & humanarum carniū vorationem,

nem,

nem, se nescire. Etiam cæteri Apologetæ, dum calumniam de infanticidio a Christianis amoliri satagunt, ita se gerunt, ut non obscure prodant, sibi de hæreticis sui temporis, qui tale facinus admiserint, nihil quicquã innotuisse. Apud Minutium Felicem Octavius Christianus Cæcilium ethnicum ita alloquitur: *Putas, posse fieri, ut tam molle, tam parvulum corpus, fata vulnerum capiat? ut quisquam illum rudem sanguinem novelli, & vix dum hominis, cadat, fundat, exhauriat?* En, impossibile judicat Octavius, vel Minutius sub nomine Octavii, tam immane facinus ab homine perpetrari. Qui vero dixisset id fieri non posse, quod ab hæreticis fieri scivisset, aut fieri credidisset? Tertullianus, ubi supra, pro ostendenda commenti vanitate hunc in modum disserit: *Quis unquã taliter vagienti infanti supervenit? quis cruenta, ut invenerat, Cyclopum & Sirenarum ora judici reservavit? quis vel in uxoribus aliqua immunda vestigia deprebendit? quis talia facinora, cum invenisset, celavit, aut vendidit ipsos trahens homines? Si semper latemus, quando proditum est quod admittimus? imo a quibus prodi potuit? ab ipsis enim reis non utique; cum vel ex forma omnibus mysteriis silentii fides debeat. Samothracia & Eleusinia reticentur. Quanto magis talia, quæ prodita interim etiam humanam animadpersionem provocabunt, dum divina servantur. Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur, ut extranei; & unde extraneis notitia, cum semper etiam pia initiationes arceant profanos, & arbitris caveant, nisi si impit minus metuunt? Natura fama omnibus nota est. Vestrum est: Fama malum, quo non aliud velocius ullum. Profecto hic Tertulliani discursus non tantum manifestum facit, de nefandis istis hæreticorum epulis nihil ad aures ipsius pervenisse, sed*

se, sed & argumentum suppeditat, quo illos, qui his tale quid tribuunt, oppugnatum ire possis. Omnia enim quæ heic pro liberandis a tali suspicione Christianis urget Tertullianus, etiam pro purgandis ab eadem hæreticis militant.

xxxv. Porro, si revera ista scelera committere consuevissent hæretici veteres, qui id ignorare potuissent ecclesiæ Lugdunenses & Viennenses? Atqui illæ in sua, quam num. xxxi citavimus, epistola, diserte fatentur, se non credere, tale quid unquam ab hominibus perpetratum esse, quale obiciebatur Christianis, & quale adversus eos comminiscabantur ethnici servi. Loquuntur autem de *ἀνδρωποφασία* & incesto concubitu. Certe si vel maxime horrenda ista facinora in hæreticis tegere voluissent fideles, quando cum gentilibus sibi res erat, ne scilicet in Christiani nominis (quod etiam hæretici sibi sumebant) probrum id cederet; quando tamen cum fratribus suis per literas communicarunt, nihil causæ fuit, cur aliquid heic dissimulare voluerint. Si proinde quicquam de hæreticorum Thyeis convivis & Oedipodeo incestu cognitum habuissent fideles in Gallia, nunquam scripturi fuissent ad Ecclesias per Asiam & Phrygiam, se non credere, tale quid unquam ab hominibus esse perpetratum.

xxxvi. Tandem & illud considerandum proponimus, quod nemo auterum paullo ante laudatorum, qui de infante, cujus sanguis eucharistiæ adhibitus fuerit, memoriæ aliquid prodiderunt, asserere audeat, rem certo se ita habere, ut ille narraverit, sed omnes sic loquantur, ut haud obscurum indicium faciant, se non nisi ex vulgari rumore accepisse, quæ
hac

hac de re ad posteros transmiserint. Id indicant voces: *perhibentur; dicunt;* quibus in sua historia utuntur. Equidem Epiphanius hæresi xxvi scribit, se partim ex ipso Gnosticorum ore, partim ex relatione virorum fide dignorum, partim ex libris didicisse, quæ de hæresi ista annotaverit: interim, quando de infante crebris punctationibus vexato agit, hæres. XLIX, non aliter ac Philastrius & Augustinus loquitur, sicut ex verbis ejus supra allatis manifestum est. Immo reperias e quarto quintoque seculo scriptores, eosque non penitendos, qui plane in dubium vocant, quod de nefandis sive Montanistarum, Cataphrygum, Pepuzianorum, sive Carpocratianorum & Gnosticorum, (nam utrisque tribuitur) coënis narratur. Hieronymus enim Epistola LIV ad Marcellam, adversus Montanum scripta, cum ejus a seclarumque dogmata & ritus recensuisset, addit: *Prætermitto scelerata mysteria, quæ dicuntur de latente puero & de victuro martyre confarrata. Malo, inquam, non credere: sit falsum omne, quod sanguinis est.* Similiter Theodoretus lib. III hæreticarum fabularum, cap. de Montanistis: *De mysteriis autem nonnulla quidem jactitant: sed illi non fæventur, & sui accusationem calumniâ appellant.* Sed maxime omnium huc facit auctor anonymus, annis abhinc aliquot a Jacobo Sirmondo editus, qui paullo ante exortam Eutyichis hæresin, uti quidem editor existimat, ex Higinio quodam, Philastrio, Epiphanio, aliisque, ut titulus habet, epitomen de hæresibus conscripsit. Is cum hæresi xxvi Cataphrygum originem & dogmata breviter exposuisset, subjicit: *Hactenus dixerim de Cataphrygis. Cetera quæ dicuntur, quasi incerta prætereo: de infantis sanguine eos accipere. Quod*

ideo dicimus, ne videamur ignorare omnia, quae de eis dicuntur. Hi enim qui contra eos scripserunt, nihil hinc penitus memorarunt. Scripsit contra eos librum sanctus Soter, Papa urbis, & Apollonius, Ephesorum Antistes. Contra quos scripsit Tertullianus, ---- asserens, falsa esse de sanguine infantis. Scio, hæc non uno nomine falsitatis accusari ab Avvrao, Doctore Sorbonico, in censura Prædestinati cap. 4; nec fortassis immerito. Id tamen efficere non potest, quod minus hinc colligamus, quinto a Christo nato seculo de ~~id est de quarto seculo~~ Montanistarum sive Gnosticorum dubitatum fuisse. Cæterum, quod idem Avvraus negat, Montanistas criminis illius accersitos esse, verum est, si de Justinii Martyris ævo, quem laudat, accipias: non item, si de quarto quintove seculis Christianis: quibus id crimen illis impactum fuisse, clare docent, quæ supra adduximus. Verum de his fatis.

Fratres & sorores se appellarunt prisci Christiani.

XXXVII. Quod in specie ad Oedipodeos incestus attinet, suspicionem aliquam illiciti concubitus paganis movisse, quod fratres se invicem ac sorores appellarent veteres Christiani, ex Minutio Felice liquet; apud quem Cæcilius: *Occultis, inquit, se notis & insignibus noscunt, & amant mutuo pene antequam noverint: passim etiam inter eos quedam libidinum religio miscetur: ac se promiscue appellant fratres & sorores; ut etiam non insolens stuprum intercessionem sacri nominis fiat incestum. Ita eorum vana & demens superstitio sceleribus gloriatur. Scilicet Christianos ex gentiliū suorum consuetudine judicat homo ethnicus, qui fratris & sororis appellationibus ad tegenda supra & libidines passim utebantur; sicut Martialis inde nomina nequiora*

quiora dicere non dubitet. Ita quippe habet impuri illius Epigramma IV, libri II, in Amianum:

O quam blandus es, Amiane, matri!
quam blanda est tibi mater, Amiane!
Fratrem te vocat, & soror vocatur.

Cur vos NOMINA NEQUIORA tangunt?
Quare non iuvat hoc, quod estis, esse?
Lusum creditis hoc jocumque? non est.
Mater, quae cupit esse se sororem,
nec matrem iuvat esse, nec sororem.

Idem lib. XII, Epigramm. XX, ad Fabullum:

Quare non habeat, Fabulle, queris,
Uxorem Themison? habet sororem.

Item lib. X, Epigr. LXV, ad Carmenionem:

--- Desine me vocare fratrem,
Ne te, Carmenion, vocem sororem.

Sic apud Senecam Tragicum, in Hippolyto, Act. II, 606. Phædra, cum amorem suum verecunde indicare vellet, ait:

Matris superbum est nomen, & nimium potens:
Nostros humiliter nomen affectus decet.
Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca.

Apud Ovidium quoque, lib. IX Metamorph. Fab. XI, Byblis, Cauno fratri stuprum per illecebram svadens, inter alia inquit:

Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus.

Et apud Petronium Circe ad Pollicenum: Si non fastidis, inquit, feminam ornatam, & hoc primum anno virum expertam, concilio tibi, o juvenis, sororem. Habes tu quidem & fratrem: neque enim me piguit inquirere: sed quid prohibet &

bet & sororem adoptare? Sic Cynædus ille Gyton in isto Petronii Satyrico viginti amplius locis *frater* in obscuro hujusmodi significatu vocatur. Pertinent insuper huc illa Tibulli, ex libro III, Eleg. I:

*Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Neera,
mittit, &, accipias munera parva, rogat.*

*Teg, suis jurat caram magis esse medullis;
sive sibi conjux, sive futura soror.*

*Sed potius conjux: hujus spem nominis illi
aufert extincto pallida Ditis aqua.*

Sensus: Hæc tibi mittit Tibullus, ille olim fururus tibi legitimus vir, nunc tantum amator. Vide Lipsium lib. III antiqu. lectionum. Ita gentiles. At multo aliter sese res cum Christianis habebat; qui non libidinis, sed alia de causa, nominibus istis utebantur; nimirum, quod unum patrem DEUM agnoverint; quod unum spiritum biberint sanctitatis; quod de uno utero ignorantia ejusdem ad unam lucem expaverint veritatis; uti loquitur Tertullianus Apolog. cap. xxxix; cui consonans Octavius apud Minutium: *Nos, ait, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius DEI parentis homines, ut consortes fidei, ut spei coheredes.* Lactantius lib. V, cap. xv, hanc appellationis istius affert rationem, quod omnes Christiani, sive domini sint, sive servi, respectu spiritualium, ejusdem conditionis sint. *Non alia causa est,* scribit, *cur nobis invicem fratrum nomen impertiamus, nisi quia pares esse nos credimus.* Nam cum omnia humana non corpore, sed spiritu metiamur, tametsi corporum sit diversa conditio, nobis tamen servi non sunt, sed eos & habemus & dicimus spiritu fratres, religione conservos. Sane ut libidinis & impuritatibus dediti fuerint prisca Christiani tantum

tantum abest, ut potius ipsi Ethnici facti fuerint, quovis supplicio ac tormento gravius duxisse eos, & ipsa morte crudelius, pudicitiae jacturam pati. Autor inter alios Tertullianus, dum sub finem Apologetici: *Proxime, inquit, ad leonem damnando Christianam potius quam ad leonem, confessi estis, labem pudicitiae apud nos atrociorē omni poena & omni morte reputari.*

xxxix. Quemadmodum autem mala culpæ, hoc *Omnia in-*
est, grandia quæque crimina & horrenda facinora, *fortunia*
Christianis tribuebant: sic item mala poenæ, omnia, *Christianis*
inquam, infortunia, quibus genus humanum preme- *imputata.*
batur, iisdem imputabant pagani. Scilicet (ut Elmenhorstii verba mea faciam) cum fontem siccitas statuebat, cum rarus imber cælo descendebat, cum arentibus campis sementa deficiebant, cum jejunas & steriles herbas terra producebat, cum vineam debilitabat grando, cum oleam detruncabat turbo subvertens, cū locustæ & mures prodigialiter effervescebant frumentaq; arrodebant, cū pestilens aura cæli statum corrumpebat, & morbos indicebat graves, cum fames, lues, bella, miseram mortalitatē lancinabant, omnium illorum incommodorū Christiani autores inculpabantur, vulgoq; damnabantur ad leones & bestias. Clare id docet Tertullianus Apolog. cap. xl, dum ait: *Illis nomen factionis accommodandum est, qui in odium bonorum & proborum conspirant, qui adversum sanguinem innocentium conclamant, prætexentes sane ad odii defensionem illam quoq; vanitatem, quod existiment, omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi, Christianos esse causam. Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cælum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad*
K *leonem.*

leonem. Eodem modo Origenes in Matthæum cap. xxiv, tract. xxix: *Propter multitudinem Christianorum dicunt fieri bella, & fames, & pestilentias. Frequenter enim famis causa Christianos culparunt gentiles, & quicumque sapiebant quæ gentium sunt. Sed & pestilentiarum causas ad Christi ecclesiam retulerunt. Scimus autem & apud nos terra motum factum in locis quibusdam, & factas fuisse quasdam ruinas, ita ut, qui erant impii extra fidem, causam terra motus dicerent Christianos; propter quod & persecutiones passæ sunt ecclesiæ & incensæ sunt. Atque hinc Arnobio nata occasio scribendi libros suos adversus gentes; ut ipse, statim sub operis istius initium, manifeste indicat. Eadem impulerunt Augustinum, ut, exardescens zelo domus DEI, celebres illos & multijugæ eruditionis copia prægnantes de civitate DEI libros concinnaret; veluti ex iis, quæ de hoc opere ipse autor lib. II Retract. cap. XLIII differit, manifestum est. Gothis nimirum & Vandalis Romanum imperium affligentibus, quin ipsa Roma ab Alarico, Gothorum Rege, capta, tantas clades non pauci religioni Christianæ, per quam veterum Deorum cultus antiquatus esset, imputabant. Quippe vigente idololatria floruisse imperium aiebant, labefactata, ipsum quoque labefactari cœpisse, & in diras calamitates præcipitasse. Huic blasphemix libros de civitate DEI Augustinus, uti diximus, opposuit. Quibus perficendis quum intentus esset, Paulum Orosium, Presbyterum Hispanum, ad scribendam eodem fine historiam, paganis opponendam, excitavit & impulit, uti ex ipsa præfatione, quam operi suo Orosius præmisit, videre est; cum qua conferri potest lib. I, cap. IX, lib. IV, cap. VI, &*

VI, & XXIII, lib. VII, cap. XVI. Idem quoque argumen-
 tum ex professo tractat Cyprianus in eximio libro ad
 Demetrianum, Africæ præfectum ethnicum, qui inter
 opera ejus extat Tomo II, num. V, editionis Pamelia-
 næ. Adde Epistolam, quam, in controversia de ba-
 ptismo hæreticorum, contra epistolam Stephani, Epi-
 scopi Romani, ad Cyprianum dedit Firmilianus, Cæ-
 sariæ in Cappadocia Episcopus; quæq; in editione E-
 pistolarum Cypriani Pameliana est LXXV, omissa au-
 tem (fortè quia paulo vehementius & acerbius,
 quam Episcopum deceat, scripta) in editione Manu-
 tii. Junge item edictum Antonini Pii, quod legitur
 ad calcem Apologiae, quam ad memoratum Impera-
 torem ejusq; filios & Senatum Romanum pro fide
 Christiana scripsit Justinus Martyr, nec non apud Eu-
 sebius lib. IV. Histor. eccl. cap. XII; ubi tamen per-
 peram, nescio quò errore, loco *Antonini Pii*, *Marcus*
Aurelius edicti autor nominatur.

XXXIX. Tandem, cum viderent gentiles, malis
 multis diversisq; miseris Christianos vexari, etiam
 hoc nomine iis insultabant, quodq; verum omnipo-
 tentem DEUM haud colerent, inde elicere satage-
 bant. Ita quippe paganos introducit loquentes Ar-
 nobius sub finem libri II: *Cum omnipotenti servitis*
DEO, & cum habere confiditis salutis atq; incolumitatis ve-
stra curam, cur persecutiones patitur perpeti vos tantas, atq;
omnia genera pœnarum & suppliciorum subire? Sic iidem
ethnici apud Lactantium lib. V, cap. XXI: Cur DEUS
ille singularis, ille magnus, quem rerum potentem, quem
Dominum omnium confiteris, hæc fieri patitur; nec cultores
suos vindicat, aut tuetur. Cur deniq;, qui eum non colant, &
 opu-

Misera con-
ditio Chri-
stianis ex-
probrata.

opulenti, & potentes, & beati sunt, & honoribus regnoq; potiuntur, eosq; ipsos ditioni suæ ac potestati subiectos habent? Similia evomit Cæcilius apud Minutium Felicem; cui tamen eleganter respondet Octavius: Quod corporis humana vitia sentimus & patimur, non est pœna; militia est. Fortitudo enim infirmitatibus roboratur; & calamitas sapius disciplina virtutis est: vires deniq; & mentis & corporis sine laboris exercitatione torpescunt,--- Itaq; nobis Deus nec non potest subvenire, nec despicit, cum sit & omnium rector, & amator piorum: sed in adversis unumquemq; explorat & examinat; ingenium singulorum periculis pensitat; usq; ad extremam mortem voluntatem hominis sciscitatur, nihil sibi posse perire securus. Itaq; **UT AURUM IGNIBUS, SIC NOS DISCRIMINIBUS ARGUIMUR.** Confer porro, quæ fuse, &, ut solet, eleganter hanc in rem differit Lactantius lib. v, cap. xxii, ac junge quæ habent Arnobius dicto loco, Justinus Martyr in Apologiis, Clemens Alexandrinus lib. iv Strom. Eusebius lib. x demonstrat. cap. iix, Augustinus libri de Civ. Dei cap. xxix, Tertullianus Apolog. cap. ultimo, Ecclesiæ Gallicæ in Epistola sua, cujus jam supra, num. xxxi, mentionem fecimus, aliique doctores, vetusti.




Corollaria Philosophica RESPONDENTIS.

1. **M**etaphysica rectè dividitur in partem generalem & specialem.
2. **M**etaphysicæ non est Ens quatenus Ens, sed Ens quatenus est abstractum à materiâ secundùm indifferentiam.
3. Licet Metaphysica abstrahat à materiâ, caritamen de materiâ agere posse rectè asseritur.
4. Affectiones Entis unitæ non sunt tres tantum, quæ vulgò enumerantur Verum scilicet bonum & unum.
5. Affectiones Entis de formali, non dicuntur Ens rationis.
6. Affectiones Entis ab Ente non differunt realiter.
7. Unum Enti nihil positivi superaddit.
8. Veritas in Effendo Enti est intrinseca.
9. Una res altera verior esse non potest.
10. Omne Ens est bonum.
11. Malum non est Ens seu res positiva.
12. Summum malum s. B. oppositum non datur.
13. Potentia recisiva non est medium inter potentiam activam & passivam.
14. Potentia obediens minimè confundi debet cum potentia objectiva.
15. Finis est causa causarum.
16. Actiones DEI non sunt propter finem tanquam causam.
17. Bruta agere propter finem quis negaret?
18. Imo & illa quæ omni cognitione destituta sunt, agunt propter finem.
19. Contingentiam aliqua datur Scientiæ.
20. Effectus contingens nonnunquam est necessario.
21. Mentem auream esse non Ens, vix affirmaverit.
22. Privatio est principium physicum.
23. Privatio continetur sub non Ente.
24. Privationes suam habent veritatem.
25. Privationes nullum parium effectum.
26. Materia prima non est sementum.
27. Materia dispescitur in primam & secundam.
28. Quid putas? eraduci animam vel creari?
29. Gigantes & Pygmeos pro monstris non habemus.
30. Habere motum & quiescere non sunt contradictoria.
31. Dæmones verè cum hominibus non congregari proinde nec verè gignere possunt.
32. Cæco inesse visum quis negaret?

33. Sicuti

33. Sicuti multi reperiuntur, qui negant, quod illa quæ non directe & per se in prædicamento vulgato ponuntur, definiri definitione essentiali possint; sic nos affirmativam contra illos tenemus.
34. Ens respectu DEI & Creature, Substantiæ & accidentis num est univocum?
35. Rectiusne DEUS directe in prædicamento subst. ponatur quàm indirectè?
36. Syllogismus hic: Communio panis est commendata à Christo.
37. Communio sub una est Communio panis, E. non habet hoc vitii, quod minor sit Neg. virtualiter in 1. fig.
38. Habitus num sint 5. an verò tantùm tres: Scientia, Prudentia & ars?
39. Minor nunquam in prima figura potest esse formaliter negans, ut tamen vera sit conclusio.
40. Genus potest definiri.
41. Decem prædic. num rectè dicantur summa genera?
42. Genus in una specie conservari potest.
43. Species est id quod de pluribus numero differentibus prædicatur in quid completè.
44. Genus subalternum & species subalterna non sunt duo distincta Entia.
45. Quæcumque essentialiter differunt illa non statim differunt essentiâ.
46. Individuum vagum non est propriè dictum individuum, sed potius universale.
47. Propositionem falsam esse veram propositionem verum est.
48. Objectum Ethices non sunt actiones humane.
49. Ethica ordine Analytico tradi debet.
50. Summum bonum non consistit in honore.
51. Tomperantia in sola carniû abstinentia non est sita, nec certo tempori adstric-ta, sed in omni cibo, ac potu, quovis tempore servanda.
52. Post diluvium carniû usus licitus fuit, nec esus vitatus: An verò ante diluvium, ad Noachum usque carniû fuerit usus & esus inter fructus terræ cibosq; alios dubitatur. Nihilominus tamen etiam ante diluvium licitum fuisse esum carniû maxime probabiles persvadent rationes.
53. Num hodiernæ Choreæ, quas utriusque sexus homines instituunt, salvâ castitate tolerari nequeant, & dignæ sint quas detesteris & abomineris?
54. Nec officiosum nec jocosum mendacium licitum est.
55. Princeps legibus simpliciter solutus non est.
56. Lex naturæ est immutabilis.
57. Fides data latroni, de pecunie certa summa, pro vita conservanda, & juramento confirmata, obligat & teneri debet.





Corollaria Philosophica R

1. **M**etaphysica recte dividitur in partem gen
2. **O**bjectum Metaphysicæ non est Ens quati
stratum à materiâ secundum indiffe
3. Licet Metaphysica abstrahat à materiâ, carit
asseritur.
4. Affectiones Entis unitæ non sunt tres tantum, q
bonum & unum.
5. Affectiones Entis de formali, non dicunt Ens ra
6. Affectiones Entis ab Ente non differunt realiter.
7. Unum Enti nihil positivi superaddit.
8. Veritas in Effendo Enti est intrinseca.
9. Una res altera verior esse non potest.
10. Omne Ens est bonum.
11. Malum non est Ens seu res positiva.
12. Summum malum s. B. oppositum non datu
13. Potentia recisitiviva non est medium inter pote
14. Potentia obadientialis minime confundi debet
15. Finis est causa causarum.
16. Actiones DEI non sunt propter finem tanqu
17. Bruta agere propter finem qui negaret?
18. Imo & illa quæ omni cognitione destituta sunt
19. Contingentium aliqua datur Scientiæ.
20. Effectus contingens nonnunquam est necessari
21. Montem aureum esse non Ens, vix affirmare
22. Privatio est principium physicam.
23. Privatio continetur sub non Ente.
24. Privationes suam habent veritatem.
25. Privationes nullum pariunt effectum.
26. Materia prima non est figmentum.
27. Materia dispescitur in primam & secundam
28. Quid putas? traduci animam vel creari?
29. Gigantes & Pygmeos pro monstru non habem
30. Habere motum & quiescere non sunt contra
31. Damones verè cum hominibus non congregari p
32. Cæco inesse visum quis negaret?

N T I S.

tem.

s quatenus est ab-

à agere posse rectè

erantur Veram se.

passivam.

bjectiva.

finem.

gignere possunt.

33. Sicuti

